EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

Annus XV. Iulius 1901. N. 7.

SOMMARIUM:

Breve SS.mi D. N. Leonis Pp. XIII, pag. 393 — Adnotationes, pag. 395 — S. R. C. Decreta, pag. 397 — Quaestiones Academiae Liturgicae Romanae, pag. 404 — Dubiorum liturgicorum solutio, pag. 415 — Breviora responsa, pag. 436 — Solutio quaestionis pro mense Iulio 1901 propositae, pag. 446 — Altera solutio, pag. 451 — Quaestio solvenda, pag. 453 — Appendix, pag. 453.

Dilecto Filio Religioso Viro Paulo Delatte O. S. B. Abbati Solesmensi

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Nos quidem et novimus et alias laudavimus positam a vobis intelligenter operam in scientia eorum concentuum sacrorum, de quibus memoriae est proditum, ad magnum Gregorium referendos esse auctorem.

Similique ratione non potest Nobis non probari vester ille, in conquirendis vulgandisque veteribus, de eo genere, monumentis, tam operose tamque constanter insumptus labor. Quorum laborum fructus varios videmus iis consignatos voluminibus, nec sane paucis, quae Nobis grato admodum munere diversis temporibus misistis, quaeque late iam, ut accepimus, in luce atque oculis hominum versantur, ac

multifariam quotidiano recipiuntur usu. Omnino quidquid suscipitur studii in hac illustranda augendaque rituum sanctissimorum comite atque adiutrice disciplina, dandum laudi est, non solum propter ingenium et industriam, sed etiam, quod longe maius, propter speratum divini cultus incrementum. Siquidem gregoriani concentus prudentissime sunt sapientissimeque ad illuminandum verborum sententias inventi, atque inest in eis, si modo adhibeantur perite, magna vis et mirifica quaedam mixta gravitati suavitas, quae facile illapsa audientium in animos pios ciere motus cogitationesque salutares alere tempestive queat. Quotquot igitur sunt, praesertim ex alterutro ordine Cleri, qui se posse aliquid in hac vel scientia vel arte sentiant, pro sua quemque facultate elaborare omnes convenit sollerter et libere. Salva quippe caritate mutua et ea, quae debetur Ecclesiae obtemperatione ac reverentia, multum prodesse multorum in eadem re studia possunt, ut vestra ad hanc diem.

Divinorum munerum auspicem, itemque paternae benevolentiae Nostrae testem tibi, dilecte fili, sodalibusque tuis apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XVII Maii MDCCCCI, Pontificatus Nostri vicesimo quarto.

LEO PP. XIII.

ADNOTATIONES.

1. Praeclarae quidem laudes, quibus Summus Pontifex Leo Pp. XIII non solum Religiosum Virum Paulum Delatte Solesmensem Abbatem O. S. B. prosequitur, sed et sacros illos concentus, quos ad magnum Gregorium referendos dicit!

2. Hos itaque concentus, in quorum scientia tantam Monachi O. S. B. Solesmensis Abbatiae diligentemque posuere operam, nisi ad Gregorium Papam I pertineant, quod Leo Pp. XIII merito siluit, ad eiusmodi tantopere celebrem Auctorem referendos declarat.

3. Quod, ni fallimur, sibi vult, artem, numerum, saporem, ac veluti peculiarem inspirationem divinitus factam, quae omnia dictis sacris concentibus attributa fuere, in magno Gregorio suam quasi propriam originem primam reperire.

4. Sibi gaudet Summus Pontifex, sicut de laboribus exantlatis a praefatis Monachis in veteribus eo in genere monumentis conquirendis, illorumque fructibus, quos vulgata ostendunt volumina, ita et de eorumdem voluminum multifario ac quotidiano usu. Ubi autem usus iste, nisi maxime in Dei templis, ac pro sacris functionibus, quae ad Dei cultum peraguntur?

5. Laude proinde dignum praedicat quidquid laboris insumitur in hac illustranda augendaque disciplina, quam iure merito sanctissimorum rituum comitem atque adiutricem nuncupat, maxime propter speratum divini cultus incrementum. Neminem autem latet, eiusmodi incrementum cultus in liturgicis ecclesiasticisque actibus comprobari, qui eum principem in divinis templis sibi optimo iure vindicant.

6. Gregorianum commendat cantum, utpote ad lucem divinis in verbis infundendam adinventum, miraque vi atque suavitate pollentem, ex quibus mentes et corda alimenta su-

munt. Concentus ergo illos, in quos Solesmenses Monachi tantopere incubuerunt et incumbunt, iam nemini dubitandum, ad cantum, qui Gregorianus dicitur, iure pertinent, eadem, nisi potiori, quoque ratione, qua alii pertinere dicuntur.

7. Eapropter Summus Pontifex universos ex utroque clero adhortatur, ut quidquid in hac vel arte vel scientia possunt, pro suis viribus, qua par est, sollertia, imo et libertate elaborent. Quae profecto eo spectat adhortatio, ut praefatorum concentuum scientia disciplinaque perceptis, liberum diligensque in Ecclesiis exercitium fiat.

8. Id autem Pontifex prudentissimus, mutua caritate, atque omnimoda erga auctoritatem obtemperatione ac reverentia servandum praecipit, sive, ut merito arbitramur, quod cogitandi rationem, sive quod subsidia adhibenda, sive denique quod modum se gerendi attinet.

9. Quidquid ergo de praeterito iudicari velit, hoc unum impraesenti certum exploratumque habendum, iisdem propemodum utimur verbis, queis perillustris Ephemeris " Civiltà Cattolica „ altero mensis Iunii numero usa est, controversiam super Gregoriano Cantu, triginta et amplius abhinc annis agitatam, relato cum maximae gravitatis documento a Summo Pontifice Leone XIII, sapientia incomparabili, exquisita prudentia, utcumque in salebra haerentem visam, plenissima causae cognitione expeditam fuisse.

10. Hoc interim superest, ut collatis viribus, iungamur in Domino, actu perficientes tanti vota Pontificis, studio animum adiiciendo divinarum modulationum, quibus nil proprius in sacris templis. Unica est enim cultus adaugendi ratio in Dei Optimi Maximi gloriam, christiadum adstantium exemplum, nostrique perfectionem spiritus. Fiat, fiat.

E S. RITUUM CONGREGATIONE

I.

UTINEN.

Hodiernus Kalendarista Archidioeceseos Utinen., de consensu sui R.mi Ordinarii, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expetivit, nimirum:

Quum in Kalendario perpetuo ad usum Archidioecesis Utinensis per decretum diei 15 Maii anni elapsi 1900 approbato, ad ritum semplicem tria festa redacta sint: nempe S. Pantaleonis Mart., S. Mennae Mart. et S. Spiridionis Episc. Conf., quaeritur:

I. An in festis S. Pantaleonis et S. Mennae, recolendis sub ritu simplici, nona lectio de singulis recitanda debeat esse composita ex tribus lectionibus respectivis, quae legebantur in festis duplicibus eorumdem Sanctorum, vel sufficiat recitare nonam lectionem, quae de hisce Sanctis extat in Breviario Romano ad respectivos dies 27 Iulii et 11 Novembris?

II. An in festo S. Spiridionis, commemorando die 14 Decembris sub ritu simplici, legenda sit nona lectio ex tribus lectionibus secundi Nocturni, quae

antea in Officio ritus duplicis recitabantur, vel haec nona lectio omitti possit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I et II. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam [1].

Atque ita rescripsit. Die 11 Ianuarii 1901.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen. *Secret.*

[1] Ratio, ni fallimur, huiusce responsionis est sequens: Archidioecesis Utinensis, indubie ex privilegio, horum trium Sanctorum agebat festum cum officio novem lectionum, quod in Breviario Romano non extat. Imo si pro Ss. Menna et Pantaleone untica habetur lectio, cum sint simplicia per se, de S. Spiridione Breviarium Romanum ne festum quidem sub ritu simplici recolit. Iam nunc eadem Archidioecesis obtentum privilegium renuntiavit, petiitque, ut duo prima ex dictis festis in simplicem ritum restituerentur: quod et obtinuit. Id autem quod de primis, etiam de tertio festo consecuta est. Consequens ergo est, ut de primis duobus festis simplex agatur festum, uti antea. Namque, cum peculiare officium Archidioecesis reliquerit, nonnisi ut illud commune fiat remanet, uti in Breviario prostat. Sed unica de utroque lectio habetur in illo; ergo unica de eodem lectio recitanda. Secus oriretur incommodum, quod Ecclesia, quae Breviario Romano utitur, pro Sancto semplici recitaret lectionem, quae in eodem Breviario non extat: id autem esset contra uniformitatem, quae maxime curanda est.

Hac eadem de causa, uti patet, nihil faciendum de S. Spiridione, qui in Breviario Romano non reperitur inscriptum. Toto ergo iure ad proposita duo dubia, hac de ratione, credimus, responsum est ad utrumque: negative quoad primam partem, affirmative quoad alteram.

Notandum vero, quod si dicta festa, ad simplicem ritum redacta, in die assignata fuissent uti duplicia, ex solutione, quam alibi (Dub. Liturg. solut. I), exhibebimus, in diem propriam, si fieri quidem posset, restituenda forent.

II.

DUBIORUM. [1]

A quibusdam Kalendariorum redactoribus Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna declaratione reverenter proposita fuerunt; nimirum:

I. Utrum circa Orationes pro Ecclesia et pro Papa id retinendum sit, ut, si altera vi Rubricae, altera ex praecepto Ordinarii, praescribatur, utraque, prouti de more, in Missa dici debeat?

II. Num *Pater, Ave* et *Credo,* post chorale Officium, stantes vel genuflexi recitare debeant chorales, uti stantes vel genuflexi recitare tenentur finalem Antiphonam?

III. Quando alicubi celebratur Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum, huiusmodi festum estne secundarium pro illis Ecclesiis, quae consecratae non sunt?

IV. An dies octava alicuius festi habentis Octavam, incidens infra Octavam Corporis Christi, ubi haec Octava non est privilegiata ad instar Octavae Epiphaniae, sed ita ut quaevis duplicia classica, sive occurrentia, sive translata admittat, celebranda sit per integrum Officium, vel per solam commemorationem?

[1] Veniam deprecantes a Venerabilibus Consociatis pro duabus, quae irrepserunt mendae, in proxime praeterito Ephemeridum numero, quod Decretum pertinet *Dubiorum;* consultius iudicamus illud per integrum in praesenti iterum vulgare, omissa nota.

V. In festo Expectationis partus B. M. V. quod incidit in feriam IV quatuor temporum, cantandaene sunt duae Missae in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, videlicet una de festo et altera de feria, etsi quamdam identitatem habeant, vel tantum canenda est Missa de festo?

VI. Iuxta Rubricas speciales Breviarii et Missalis Romani festum Annuntiationis B. M. V. transferendum quoad chorum tantum in feriam II post Dominicam in Albis, tanquam in sedem propriam, non cedit nisi festo primario eiusdem ritus occurrenti, quo in casu in sequentem diem similiter non impeditum transferri debet; quaeritur: In hoc postremo casu, concurrente festo primario duplici primae classis, celebrato dicta feria II, cum festo Annuntiationis B. M. V. recolendo feria III immediate sequenti, de quo festo erunt dicendae Vesperae? Et regula, quae traditur pro enunciato casu, applicandane erit aliis casibus similibus, ex. gr. in concurrentia festi primarii dupl. primae classis cum festo S. Ioseph Sponsi B. M. V., translato iuxta Rubricas in sequentem diem 20 Martii vel in feriam IV post Dominicam in Albis?

VII. Concurrente die octava dedicationis propriae Ecclesiae dupl. min. cum festo dedicationis Basilicarum Ss. Apost. Petri et Pauli dupl. mai. quomodo ordinandae erunt Vesperae?

VIII. Quando commemoratio omnium Ss. S. R. E. Summorum Pontificum occurrit Dominica infra Octavam Omnium Sanctorum, eadem *Postcommunio* habetur pro Missa de festo et pro dicta Octava: in casu, unde sumenda erit *Postcommunio* pro Octava?

IX. In primis Vesperis festi dupl. primae classis, Commemoratio diei octavae dedicationis propriae Ecclesiae, cuius Officium mane persolutum fuit, faciendane est vel omittenda?

X. Privilegium translationis quo iuxta Rubricas gaudent festa primaria Ss. Ecclesiae Doctorum ritus dupl. min. si impedita fuerint, extendine debet ad eorum festa secundaria eiusdem ritus?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I, II et III. *Affirmative.*

Ad IV. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam.

Ad V. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad alteram.

Ad VI. Quoad utramque quaestionem, Vesperae fiant de festo digniori, cum commemoratione festi dignitate inferioris.

Ad VII. Vesperae erunt de die octava cum comm. de sequenti.

Ad VIII. In casu, *Postcommunio* desumatur ex Missa Vigiliae Omnium Sanctorum.

Ad IX. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Ad X. *Negative.*

Atque ita rescripsit. Die 24 Maii 1901.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S. † D. Panici, Archiep. Laodicen. *Secret.*

III.

ORDINIS S. BENEDICTI

Congregationis Americanae Cassinensis.

R. P. Franciscus Mershman O. S. Benedicti, hodiernus moderator calendarii pro Congregatione Americana Cassinensi Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter proposuit; nimirum:

I. In Vesperis festi Expectationis partus B. Mariae V. (18 Dec.), iuxta Breviarium Monasticum, Responsorium breve notatur " Rorate coeli. „ Quum autem fieri debeat Comm. feriae, quaeritur: Utrum pro hac commemoratione mutandus sit versus, an idem " Rorate „ sit repetendus.

II. Si festum S. Ioseph transferri contigerit ob occursum Dominicae Passionis in fer. II seq., quomodo ordinandae sunt secundae Vesp. in concursu cum primis Vesperis S. Benedicti Abb. dupl. I classis; et quid agendum in simili concurrentia, si utrumque festum transfertur post Dominicam in Albis?

III. Quodnam Responsorium dicendum est post Lectionem XII in festo Ss. Septem Fundatorum vel alterius festi plurium Conf. non Pont.?

IV. Generalis regula statuit, quod in Officio, si conclusio hymnorum est: " Gloria tibi, Domine, qui natus „ *Benedicamus Domino* cantatur in tono de Beata;

quaeritur, an hisce diebus in Missa idem tonus sit adhibendus pro " Ite Missa est „, etiamsi Praefatio non esset de Beata vel de Nativitate, e. g. in festo Ss. App. Petri et Pauli, infra Oct. Corporis Christi vel die octava S. Ioannis Ap. et Ev.?

V. Quinam tonus adhibendus pro " Ite Missa est „ in Missa votiva solemni de SS. Corde Iesu cantata infra aliquam Oct. B. Mariae V.?

VI. In festo S. Elisabeth Reg. Vid. (8 Iulii) notatur versus proprius " Ora pro nobis „; quaeritur, quinam versus adhibendus sit pro comm. B. Mariae V. in suffragiis?

VII. Si alicubi dies octava Patroni aut Dedicationis Ecclesiae in perpetuum impediatur per festum I vel II classis, quaeritur: Utrum talis dies octava semper reducenda sit ad instar simplicis, an transferendum sit festum I vel II classis?

VIII. Si transferendum sit tale festum I vel II classis, an idem tenendum de festis maioribus e. g. Omnium Sanctorum?

IX. Si Missa de *Requiem* legatur pro *uno* et *una* defunctis, an liceat mutare orationem hoc modo: " animabus famuli tui et famulae tuae „?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis respondendum censuit:

Ad I. In alia Commemoratione dicatur ℣. *Vox clamantis in deserto.*

Ad II. Vesperae erunt de S. Ioseph cum commemoratione S. Benedicti in utroque casu.

Ad III. Sumatur de relativo Communi.

Ad IV. Affirmative in omnibus iuxta Decretum n. 3421, *Ratisbonen.* 25 Maii 1877, ad dubia quoad cantum I, II et III, in fine.

Ad V. Si hymni habeant doxologiam: " Gloria tibi, Domine, qui natus, etc. „, tonus adhibendus est ut in festis B. M. V.

Ad VI. Retineatur versus prouti in Breviario, tum pro Festo enunciato, tum pro suffragiis B. M. V.

Ad VII. Serventur Rubricae et Decreta.

Ad VIII. Provisum in VII.

Ad IX. Negative.

Atque ita rescripsit. Die 14 Iunii 1901.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S. † D. PANICI, Archiep. Laodicen, *Secret.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VII.

DE PLANETIS ET DALMATICIS.

Fulvius Sacerdos liturgicarum legum observantissimus aegre fert, in Ecclesia Capitulari, ad quam pertinet, plures adhiberi casulas, uti et dalmaticas, pro solemniori Missa, seu multicolores, seu totas ex materia, quam lex inhibet. Pluries quidem, sed frustra, conqueritur apud Capituli administratorem, a quo tamen veluti scrupulis is laborans notatur.

Namque, quod primum attinet, observat, casulas multicolores, quas illa Ecclesia possidet, nonnisi pro uno ac principali semper adhiberi, quod vetitum supponi nequit. Quod alterum spectat animadvertit, casulas et dalmaticas, quas Fulvius censura notat, equidem non esse ex serico confectas, nihilominus esse ex mori arboris textili, quod pro dictis paramentis S. R. C. nuper approbavit. Cumque idem Fulvius censura quoque notasset planetas omnino decurtatas pro plicatis in Quadragesima, quas Rubrica exigit in maioribus Ecclesiis, easdemque quandoque adhiberi in alia parva Ecclesia succursali contra Rubricas, Administrator respondit, semper id fieri consuevisse, nullamque transacta aetate, ea super re, controversiam fuisse motam: ceterum id ad se minime pertinere. Anceps et contristatus Fulvius, haec secum quaerit:

1. *Utrum ab ipsis Ecclesiae Christi incunabulis elegans pretiosaque materia pro casulis aliisque paramentis adnexis adhibita semper fuerit, nec ne: ut Rubrica Missalis Romani* (Rit. serv. Tit. 1, n. 2) *ex tali consuetudine proveniat?*

2. *Quid iudicandum de planetis ac dalmaticis etc. multicoloribus, speciatim si pro uno praecipuoque semper colore adhibeantur?*

3. *Quid sit novi generis sericum, quod Administrator annuit, et num revera sit a S. R. Congregatione recenter permissum?*

4. *Quodnam denique iudicium ferendum de alia duplici querela, quam Fulvius agit, ut in casu?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Iosephi Marinelli, Pont. Seminarii Pii Alumni, habita in S. Aede Congregationis Missionis, prope Curiam Innocentianam, die 17 Aprilis 1901, acta Epitome per R.mum Dom. Philippum M. Canon. Di Fava, S. R. C. Substitutum.

1. Utrum, etc.

Cum planetae et dalmaticae subiectum sint casus ad resolvendum propositi, de iis in genere nonnihil disserere fas est. *Planeta,* etiam *casula, casubula, penula,* etc., appellata, sacrata est vestis, quam Episcopi et Sacerdotes super alia paramenta assumunt, in Missae celebrandis solemniis. Vox casula a capsa, capsula vel casa derivat, quia, quum antiquitus rotundae et longioris esset formae, totam operiebat personam, veluti parva casa. Iuxta S. Ioannem Chrysostomum, penula vestis fuit contra pluviam et aestum adhibita, ad pallii instar; ac ex omnibus vetustis Apostolorum imaginibus deducitur, talem vestium speciem ipsis quoque familiarem extitisse. Lucianus Apostolorum coaevus ait, christianos pallio usos fuisse, ex quo plures concludunt, vocabulum *penula* idem significare, quam *lucerna,* idest pallium seu mozettam, vestem nempe breviorem in itineribus usitatam, praesertim contra frigus et pluviam; ideoque conficiebantur hae penulae ex lana aut corio. Symbolum fuerunt itineris et angustiae, unde introductae in urbibus fuerunt occasione luctus; deinceps frequentius adhibitae, sed ampliores et ex panno. Plurimum disputatum fuit de verbis S. Pauli, qui in epistola II ad Timotheum, reliquisse in Troade suam penulam dicit, rogatque Timotheum, ut eam restituat. Ex hoc Ss. Ambrosio et Anselmo suasum est, talem vestem senatoriam fuisse, a Pauli genitore relictam; at, cum nullo innitatur fundamento opinio, illius parentem eiusmodi dignitate fulsisse, sustineri haud potest eorum doctorum assertum, quinimo, notat Saussay, penula togae substituta fuit a Commodo, annis plus quam centum, post Sancti Pauli obitum. Attamen Buonarroti (*Osservaz. sui vetri*) non videtur, ex toga originem penula duxisse, ac praecipue nobilis; Senatores namque penula utebantur ampliore et pretiosiore, cum clavo aut laticlavio purpureo, quae, ob panni abundantiam, planeta vocata est, quasi fimbriis in plano pererrans, et forte

etiam cum cauda, prout adhuc inter Graecos mos est. Baronius aliique dicunt, vocem *planeta* tributam fuisse penulae vel casulae, ob eius formae rotunditatem, unde ad libitum revolvi poterat, similis in hoc caelestibus planetis, qui *sydera errantia* appellantur, ac praeterea quia eius fimbriae super brachia revolutae, ex scapulis volitantes pendebant. Opinatur Bonanni, penulam a Lacedaemoniis invectam, ex rudiori lana et pilosa primitus confectam, unde scortea dicta aut gausapina. Totum contegebat corpus, undique clausa, unica in superiori parte peracta scissura, ex qua caput tantum emitteretur, et ad brachia emittenda hinc inde illam elevare necesse erat. Serius illi caputium additum fuit, cum Romani capite aperto incedere solerent, ac tantum pallii extremitate cooperire tempore pluviae, aut nimii solis caloris. Negavit Alemanni casula aut penula usos fuisse Apostolos, at opponi ei valet S. Petri imago casula induti lata et talari, a Saussay exhibita, et a Bonanni reproducta. Scriptores non defuerunt, qui, S. Petri et ceterorum Apostolorum aevo, putarunt iam in usum deductam vestem albam, et usque ad pedes praelongam, albam nuncupatam et camisium. Alii vero testantur, paramenta, quibus Sscerdotes in Missa utuntur, per aliquod tempus, communia clericis et laicis fuisse; id retinet, inter alios, Benedictus XIV (*De Sacrif. Missae, p. 4, Sect. 1, pag. 163*), cui et Tommassini associatur, quamvis contrariae subscribant sententiae Baronius, Bona aliique autumantes, adhibuisse Apostolos peculiaris formae vestes in S. Sacrificii celebratione, et eiusdem generis vestem penulam nominatam fuisse, de qua meminit S. Paulus in actibus Apostolorum (*cap. XVI*). Commune quoque indumentum, et cuculla monachorum nomine olim casulae distincta fuerunt. Actus, ex. gr., S. Fulgentii (apud Bolland., *die 1 Ian., c. 18*) referunt, quod hic Sanctus " Casulam pretiosam vel superbi coloris ipse non habuit, nec Monachos suos habere voluit „, sed e contrario, " subtus casulam, nigello vel lactineo pallio

circumdatus incessit „. Regula Macarii (*C. 27*) in ore ponit monachi contumacis haec verba: " Hic ego durare non possum, sed accipiam casulam meam, et ibo ubi Dominus voluerit. „ Hic evidenter casula in cucullae sensu adhibetur. Erat praeterea casula quotidianus clericorum habitus; in Concilio namque, apud Liptinas, anno 743, celebrato (*C. 7*), decretum fuit, Presbyteros et Diaconos, non amplius sagium, laicorum more, induerent, sed casulam, more monachorum. Procopius (*De bello vandalico, L. II, C. 26*) nos docet, casulam, vestem aeque fuisse propriam servi et viri privati; et ex vita S. Fulgentii scimus, planetae nomen tributum et cuidam laicorum vesti; auctor namque dicit, nonnullos una cum Sancto monacho iter facientes, tempore pluviae, super eum suas planetas explicasse, ad eum contra aquam protegendum. Quidquid vero sit de forma et usu vestium clericorum, similium necne illis laicorum, aut communium, certum profecto est, in sacris actibus, numquam adhibitas vestes ordinariis usibus inservientes. Id, praeterquam ex summa argui valet veneratione, qua semper prosequuta est Ecclesia divinas res, positive ex praecepto resultat, quo S. Clemens Papa imposuit, ut adhiberentur scilicet ad Altare sacratae vestes, ac magis adhuc explicite ex antiquissimo canone, a Gratiano in suo Decreto relato, quo statuitur, debere vestes sacras ecclesiasticas esse et honestas, haud posse in profanis usibus adhiberi, neque tangi aut indui a personis nequaquam Deo consecratis, ne huius dispositionis transgressores vindicta puniantur, in quam rex Balthassar incurrit. Diximus, penulas fuisse primitus rotundas ac undique clausas; et ideo, ad brachia emittenda, sublevandas involvendasque super ipsis brachiis fimbrias laterales; ex quo, cum nonnisi aegre actio peragi posset, ritus adhuc quoque vigens originem habuit, sublevandi videlicet planetam tempore elevationis, dum brachia extollit Sacerdos (non dum genuflectit) et tempore thurificationis altaris. Ob maiorem Missarum frequentiam, cum sacrae

penulae difficulter variis personarum staturis adaptarentur, coeptum est eas minus confici longiores, ac deinde, ne nimium brachiis forent impedimento, paulatim ad latera coarctari; unde factum est, ut modo casula formam amiserit circularem, tantummodo ante et retro e collo pendens, quasi scapulare, formae inferius rotundae, illi simile, quod S. Benedictus suis monachis ordinavit, dum laboribus darent operam; eam scilicet formam accepit, quam antiqua, brachiis revoluta, ostendebat. Animadvertit Buonarroti, hodiernam casulam, originem traxisse, non immediate a penula arctiori, in itineribus adhibita, sed ex ampla e panno confecta, ac inter sacras vestes serius introductam, quam stolam, albam, colobium et dalmaticam, quae maiori antiquitate gaudent, quatenus in divinis officiis locum habent. Asserit Donati, penulam seu casulam iam saeculo V habitam inter ordinarias vestes sacras, citatque erudite plures scriptores, qui de illa disseruerunt; quod ex variis confirmatur vetustis figuris, quae in monumentis sive sculptis sive pictis inspiciuntur coemeteriorum, in antiquis musivis aeque ac in similibus plurium Ecclesiarum monumentis, et in operibus, quae eas illustrarunt.

Dalmatica est vestis Diaconi propria, dum Celebranti assistit in Missa aliisque ritibus. Eius auctor fuit S. Silvester, qui, prout ex eius actibus novimus, iussit, illa utendum in Ecclesia, dum prius, Alcuino teste, in usu erat Colobium. Erat hoc vestis cum manicis usque ad cubitum, dalmatica vero has longiores habebat eratque talaris, purpureis ornata taeniis. In Dalmatia originem habuit, unde dalmaticae nomen, indeque Romam introducta, ut Isidorus opinatur (*L. 19, orig., c. 22*). Idem Isidorus aliique ecclesiastici scriptores variis distinguunt vocabulis nomen *clavi*, seu purpureae taeniae. Rabanus Maurus, ex. gr., ait dalmaticas habuisse *duos tramites*, Alcuinus *duas virgulas*, Amalarius *duas lineas*, alii *duas zonas purpureas*. Processu temporis, mos remansit antiquus dalmaticas

duabus parvis purpureis lineis exornandi, unde putavit Rubenius, Diaconis datam fuisse dalmaticam, *angusticlavam* nuncupatam, ad eos a Presbyteris distinguendos, qui *laticlavium* induebant, seu vestem senatoriam, unica purpurea zona distinctam. Hodie exornatur dalmatica aureis, ut plurimum, vel sericeis zonis. Testatur Lampridius dalmaticam etiam a Romanis usitatam, et in dedecus vertit imperatorum Commodi et Eliogabali, ipsos in publicum dalmatica indutos exiisse. De ipsa mentio quoque fit in Actibus S. Cypriani, sed non conveniunt scriptores, an sacra ea fuerit vestis, aut profana. Papa Eutichianus statuit, Martyres dalmatica rubea indutos, honoris causa, fore sepeliendos. In Ecclesia Catholica, dalmatica, aeque ac tunicella, uti laetitiae vestis consideratur, unde non adhibetur in Missis tempore poenitentiae.

Post haec, quae exposuimus, de origine usuque planetarum et dalmaticarum, agemus nunc de earum materia, quod nimirum recta primum quaesitum respicit. Ulla absque difficultate videtur, una cum P. Bonanni, retineri posse, in Ecclesiae primordiis, tam planetas, quam dalmaticas, ex tela fuisse contextas de lino purissimo, bombycino vel serico; nec defuisse et illo persecutionum tempore exempla pretiosarum casularum, qualis erat casula a S. Peregrino Episcopo adhibita, qui a Xysto II, anno 260, Antisiodorum missus fuerat. Caeruleo haec serico pertexta erat, stellis flavi coloris distincta, et S. Dionysii Monasterio donata fuit. Primaevae sacrarum vestium simplicitati pretiositas haud multo post suffecta fuit, ad maius divini cultus decus, ex donis a Magno Constantino aliisque Imperatoribus oblatis, ac praecipue a pietate et fervore fidelium. Tunc coeptum est, paramenta pretiosae materiae confici, quibus formae et nomina diversa data sunt, et, quae adhuc laicis communia erant, pulchriora facta sunt, iuxta usus diversitatem, auro, serico, opere phrygio, figuris etiam depictis gemmisque, ad reverentiam insinuandam. Refert Aeginardus, Carolum Magnum totum providisse clerum sacris et pretiosis

vestibus, et similibus vasis. Hinc antiquae vestes, etsi communes, variis ornamentis distinctae, ad unicum sacrum usum adhibitae sunt ac retentae, tum etiam, cum, quae civilis erant moris, immutatae fuere. Summi Pontifices semper Ecclesiis sacra miserunt dona, sive paramentorum, sive aliorum supellectilium, de quibus Anastasius bibliothecarius, Severanus aliique. Ita S. Leo III Basilicam Vaticanam pluribus donavit paramentis gemmis lapillisque refertis; idem fecerunt Hadrianus I, Sergius III, Eugenius III, etc. Pontificum exemplum sequuti sunt reges, principes, cardinales, praecipue in suis titulis et diaconiis, Episcopi et alii. Garampi, in descriptione supellectilium Bonifacii VIII, anno 1295, enumerat planetas aliasque sacras vestes albas, rubeas, aureas, violaceas, nigras sumptuose ornatas, ac pretiosissimis gemmis distinctas nec non stemmatibus et picturis. Pia sollicitudo magis magisque sacra exornandi paramenta ita succrevit, ut nunc non modo splendidissima habeantur, sed et ipsa S. Rituum Congregatio, iam alias Decreto firmata renovans praecepta, die 23 Iun. 1892, in *Lauden.* nonnullis reposuit dubiis, absolute sacra paramenta prohibendo, ex sola lana vel gossypio (*percallo*) confecta.

Quod mysticas respicit significationes, scimus, antiquam casulam veluti caritatis symbolum fuisse habitam, uti etiam sacerdotalis auctoritatis, quod et hodierna, in duas partes divisa, aeque significare apta est, dum Dei amorem et proximi significat. Ideo in ordinatione Sacerdotum ait Episcopus: " Accipe vestem sacerdotalem per quam charitas intelligitur. „

2. Quid iudicandum, etc.

Colorum diversitas inventa in Ecclesia Romana iamdudum fuit in sacris paramentis, ut mysteriorum et temporum varietas oculis se fidelium distincte praeberet; hinc quinque accepti colores, et *albo* gloria, gaudium et innocentiae candor significatur; *rubro* sublimitas charitatis, sive in sanguine, sive in flamine denotatur; *nigro* et *violaceo* afflictio, ieiunium et luctus demonstrantur; *viridi* tandem, quasi medio colore, et

qui mysticam Domini vineam repraesentat, nullum peculiare exhibetur mysterium. Doctissimus Pontifex Innocentius III (*De mysteriis Missae, L. I, c. 65*), post enumeratos quatuor colores, pro violaceo tunc stante nigro, eos referens ad illos, quibus in veteri Lege distinguebantur indumenta Sacerdotum qui erant byssus, purpura, hyacinthus et coccus (*Exod. 28*), prosequitur explicans, quemadmodum color albus in festis Ss. Confessorum et Virginum adhiberetur, rubeus in solemniis Apostolorum et Martyrum, et niger in precibus pro Defunctis, et diebus afflictionis institutis ad petendam a Deo peccatorum veniam; et postea diebus ferialibus et communibus viridis haberetur, qui est inter album, nigrum et rubrum. Unde patet, antiquissimum esse in Ecclesia ritum variis utendi coloribus, et immerito calvinistam Dallaeum ausum esse dicere, disciplinam de coloribus in Ecclesia vigentem, unam ex novitatibus esse Latinorum. Color violaceus, ab initio usitatus fuit in festo Ss. Innocentium, ad eorum plorandam stragem: exinde vero remansit pro afflictione, abstinentia et peccatis, dum color niger tantummodo servatus fuit pro Missis aliisque Officiis defunctorum, Feria VI in Parasceve haud exclusa, in qua Christi mors recolitur.

Novus non est in Ecclesia usus paramentorum ex tela aurea contextorum; in Balsamonis historia legimus, Magnum Constantinum Macario donasse stolam auro intextam. Ecclesia Parisiensis usa est flavo et cinericio colore; caeruleo utuntur Hispaniarum Dioeceses, aliaeque in Missis Immaculatae Conceptionis B. M. V. Diversus fuit quoque Ecclesiarum usus in colorum electione, pro varia festorum qualitate: Romanus usus v. gr. statuit album in festis Pontificum, Parisiorum viridem, flavum Augustodunensis. In Ecclesia Ambrosiana, seu Mediolanensi, rubeus et non albus adhibetur pro Circumcisionis Domini festo; in Quadragesima violaceus omnibus Dominicis, Palmarum excepta, et niger diebus ferialibus. Dominica vero Palmarum et per totam Maiorem Hebdomadam rubeus usu-

venit, praeterquam Feria VI in Parasceve, in qua niger accipitur. Ita eadem Ecclesia in festo SS. Corporis Christi, pro albo utitur rubro; in festo Ss. Innocentium, rubeo pro violaceo, etc.

Tela aurea, ratione pretiositatis, pro tribus festivis coloribus, albo nempe, rubro et viridi adhiberi potest, ex S. R. C. Decreto, num. **3646,** ad 2, utrum de tela argentea idem dici possit dubitamus, stante num. 3 eiusdem Decreti, quo videtur permitti tantum pro albo colore. In Ecclesiis praesertim pauperibus olim paramenta adhibebantur plures colores praeseferentia, tam pro uno quam pro altero indiscriminatim; sed, iuxta plura S. R. C. Decreta, talia admitti nequeunt nisi pro colore praedominante, ita ut ictu oculi quinam sit illius Missae proprius distinguatur (V. S. R. C. Decreta **2682,** ad 50; **2769,** dub. V, num. 1, 2, 3; **2788,** ad 2). Si vero nullus praedominetur color, servari posse videtur Decretum, Episcopo Vicent. die 19 Dec. anno 1829 datum (**2675**), quo dicitur: " Serventur omnino Rubricae generales, facta tamen potestate Episcopo indulgendi, ut in Ecclesiis pauperibus permittat illis uti, donec consumentur. „

3. Quid sit, etc.

In authentica Decretorum S. R. C. Collectione, sub n. **3796,** dicitur, quidam Ioseph Pasqualis, Dioeceseos Cenetensis, cum ad S. R. C. misisset quorundam textilium exemplaria, ex serico et ex filamentis arboris mori, mixta; ab eadem S. C., post institutum accuratum examen comparativum, et requisitum votum viri in naturali scientia periti, responsum accepisse, pro sacris indumentis, textile e corticibus mori et serico confectum " posse adhiberi; dummodo textile, de quo agitur, numquam, nova adiecta materia, immutetur. „

Tenacitas et luciditas filamentorum sericeis simillimorum, coloris inalterabilitas, iuxta emissum votum, textile satis pretiosum reddunt, ut quasi sericum haberi valeat. Adiiciendum est, mori folia cibum esse bombycum, qui sericum fabricant,

ac proinde filamenta eiusdem arboris esse quasi sericum rudimentale.

5. Quodnam denique, etc.

Iam superius innuimus, Dalmaticam et tunicellam indicium fere semper praeseferre iucunditatis; planetis vero plicatis Ecclesiam Catholicam uti, quibusdam diebus afflictionis et poenitentiae, pro Diacono et Subdiacono, qui cum canere Epistolam respective et Evangelium debent, illas deponunt, ac Subdiaconus post praedictum cantum resumit, Diaconus autem statim illius vice stola latiori induitur, quae eam complicatam repraesentat, cum eaque usque ad Missae consummationem ministrat. Censura, qua Fulvius reprobat planetas omnino decurtatas, pro plicatis, merito a Capituli administratore scrupuli nomine notata est; quia, prout vetitae non sunt casulae sacerdotales usque ad scapulas e lateribus scissae, pro eo quod, ut antiquitus fiebat, super brachia involvantur, ita prohibita dici nequit scissura pro complicatura, in parte quoque anteriori in casulis ministrorum, quinimo, ut ex sequenti Rubrica palam fit, pro casula complicata optime stat simplex zona ad modum fere stolae; ergo, a fortiori, etc. En porro Rubrica (*Tit. XIX*): "6. In diebus vero ieiuniorum (praeterquam in vigilia Sanctorum) et in Dominicis, et in feriis Adventus et Quadragesimae, ac in Vigilia Pentecostes ante missam (exceptis Dominica *Gaudete,* etiamsi eius missa infra hebdomadam repetatur, et dominica *Laetare,* vigilia Nativitatis Domini, Sabbato sancto in benedictione Cerei et in Missa ac in quatuor temporibus Pentecostes), item in benedictione Candelarum, et processione in die Purificationis beatae Mariae et in benedictione Cinerum, ac benedictione Palmarum et processione; in Cathedralibus et praecipuis Ecclesiis utuntur *Diaconus et Subdiaconus* planetis plicatis ante pectus: quam planetam Diaconus dimittit cum lecturus est Evangelium, eaque tunc super sinistrum humerum super stolam complicatur, aut ponitur aliud genus stolae latioris in modum planetae plicatae;

et facta communione resumit planetam, ut prius. Similiter Subdiaconus dimittit eam cum lecturus est epistolam, quam legit in alba, et ea finita osculataque celebrantis manu, planetam resumit, ut prius. 7. In minoribus autem Ecclesiis, praedictis diebus ieiuniorum alba tantum amicti ministrant. Subdiaconus cum manipulo, Diaconus etiam cum stola ab humero sinistro pendente sub dexterum. „

Quod vero respicit dubium, an in minoribus quoque Ecclesiis adhiberi possint planetae plicatae, autumante Fulvio eis inibi uti esse *contra Rubricas,* animadvertisse iuverit in recentissima Decretorum Collectione, quae Rubricam praefatam in sensu prohibitionis interpretata fuerant, duo Decreta exulasse; hinc concludere legitimo iure licet: pro minoribus Ecclesiis verba Rubricae *alba tantum amicti ministrant,* significant id fieri posse, nisi in promptu eiusmodi planetae habeantur.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Archidioecesi Spoletina.* **De duplici minori aut maiori perpetuo impedito in die assignata, cui locus in Calendario non suppetit.** Si duplex minus aut maius, iam diei non suo assignatum, perpetuo impediatur, et locus in Calendario ei non suppetat, quid agendum?

Resp. Pergrata quaestio, ad cuius aequam solutionem plura observanda sunt, quae profecto Calendariorum ordinatoribus perutilia erunt. Itaque notandum imprimis, iure merito proponi praedictum dubium; quia neque duplicia minora neque maiora ius habent, lege Rubricarum, et Decretorum privilegio inspectis, ut reponi valeant in semiduplici, ad simplicem ritum consequenter redigendo. Id privilegii competit tantum

duplicibus II classis iuxta Decretum **3756,** et a fortiori duplicibus I cl. si in iisdem versentur conditionibus ac duplicia II classis: citatum autem Decretum de dictis duplicibus I cl. silet, quod satis difficile evenire queat, ut impediantur, et si impedita, difficilius iis locus deesse potest in Calendario.

Notandum secundo, diem qua festum celebratur, esse posse, iuxta Decretum **3811,** V, vel natalitiam, vel quasi-natalitiam, vel assignatam, vel simpliciter translatam: quid autem pro iis diversis inter se nominibus significetur, Calendariorium ordinatores apprime norunt, sed et citatus Decreti numerus aperte declarat, atque in Ephemeridibus pluries dictum est. Dubium vero propositum agit de festo, seu exactius, de officio assignato, haud vero de festo in die sua aut natalitia aut quasi-natalitia recolendo.

Tertio, Calendarium in casu fortasse fere plenum esse, ut neque duplex minus neque maius in eo habere locum possit in hypothesi alicuius impedimenti. Si eiusmodi hypothesis comprobetur, cogimur dicere, eiusmodi Calendarium, S. R. Congregatione prius audita, aliqua indigere reformatione. Etenim ordinatoribus Calendariorum aliqua relinquenda est libertas, iuxta iam citatum Decretum **3756,** III, ut in unoquoque mense dies aliquos liberos seligant pro defunctorum Missis celebrandis. Iam nunc nemo nescit, dies semiduplices, in praesentibus rerum adiunctis, esse perpaucos; si ergo Calendarium duplicibus maioribus vel minoribus plenum est, quomodo stabit dicta libertas, cuius usus nullus esse potest? Cavendum proinde, ne devotionis excessus legis observantiam opprimat, ut consultius sit nonnulla minoris gravitatis officia, audita S. R. Congregatione, simplicia reddere, ut lex impleatur.

His animadversis, devenimus ad solutionem propositi Dubii, quae attento Decreti **3885** dubio II, nullius negotii prima fronte videtur. Hoc enim Dubium quaerebat: " Quid agendum de festo Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et

Pauli, Apost. (*dup. mai.*) perpetuo impedito in Calendario dioecesano, cum ei locus non suppetat? „ Nonne idem, qui nobis proponitur, est casus, excepto quod de uno in specie duplici maiori illud agat? Iam audi generale responsum: " Festum, de quo agitur, ex communi lege, ad instar simplicis perpetuo redigendum foret: verum de speciali gratia reponatur prima die a duplici minori libera, et festum semiduplex fiat simplex. „ Ergo eamdem dare possumus et omni securitate responsionem damus Dubio nobis proposito, hoc est: secundum communem legem duplex maius, a fortiori minus, de quo a nobis inquiritur, fiat simplex in perpetuum.

Verumtamen, penitius dubio perpenso, haec solutio haud plene satisfacit. Ratio est, quia Decretum **3885** agit de duplici in die sua impedito, hoc est in natalitia vel quasi-natalitia; sed Dubium nostrum explicite notat, de officio agi, quod in die assignata repositum est. Unde alia quaestio, nempe: quanam in die hoc duplex uti simplex recolendum? An in die assignata, an in die natalitia vel quasi-natalitia, cui restituendum? Quid iudicandum? En responsio, quam exhibemus, Rubricis conformior. Aut dies huiusce duplicis propria, e qua amotum fuit, ritum simplicem admittit, aut non. Ratio distinctionis patet, quia dies natalitia vel quasi-natalitia huiusce duplicis, esse posset eiusmodi pro aliquo Patrono vel Titulo, vel pro alio festo duplici I classis, in quo simplici non datur locus, iuxta Rubricas. Sed eadem illa dies impediri etiam potuit ab alio festo duplici II classis, vel maiori, si impeditum duplex minus erat, vel eiusdem quoque ritus, sed primario, aut magis proprio, uti ex Decreto **3811** constat: et tunc simplicis festo locus certe datur.

Sit ergo prima hypothesis; et ei applicandam credimus Rubricam Occurrentiae in num. 8 de Adnotandis, cum eadem sit ratio. Licet enim ibi de Sociis Patroni aut Tituli agatur, nihilominus stat semper, agi etiam de officio duplici vel semiduplici vel simplici, quod in die sua amplius cele-

brari non potest. Iam nunc ea Rubrica declarat, officium duplex perpetuo impeditum, ratione Patroni, transferendum esse in primam diem liberam, iuxta Rubricas. Ergo, cum in casu nostro agi debeat de duplici I cl., sit Patronus, sit Titulus, sit aliud festum, et duplex maius vel minus celebrari eadem die nequeat, necessario transferendum hoc erit in primam diem liberam tamquam in die propriam, in qua recolendum erit: quod iam factum est. Cumque autem recoli ibi etiam nequeat amplius sub ritu duplici, neque semiduplici, hoc unum remanet, ut fiat simplex. Quod si obiicias, festum simplex nunquam transferri (*Rubr. Tit. X, n. 8*), id verum esse reponimus, sed translationem fuisse antiquitus factam quando ritus duplicis erat, non autem nunc fieri cum sit simplex. Quod si etiam urgeas, addendo simplicis commemorationem semper in die occurrentiae, seu in die sua faciendam esse, non alia die (*Rubr. ib., n. 9*), respondemus et id verum esse; at casus etiam est necessitatis, quia in die non sua rite reperitur inscriptum istud officium, quod duplex erat, diei suo restitui non potest, et ad ritum simplicem redigendum est. Consultius ergo est illud agere uti simplex in die non sua, quam tamquam propriam possidet, potiusquam perpetuo illud omittere.

Nec denique opponas Decretum **2390** ad 1, vel aliud, **2408**, in quibus festa simplicia transferre a S. R. C. iure vetamur; quia dicta Decreta agunt de festis per se simplicibus, quae e diebus suis ad alios non suos transferri postulabatur. Hinc Sacrum Tribunal ad normam Rubricarum reposuit, transferendos non esse. Longe vero alius est casus noster, cum agatur de duplici iure translato in diem non suam, seu tamquam propriam, quod nunc necessitas postulat, ut ad ritum simplicem redigatur, ibique celebretur. Non ergo solutio, in nostra hypothesi, praefatis Decretis aliisve contradicit.

Sit altera hypothesis; et in ea reponimus, duplex istud, ad simplicem ritum redactum, esse diei suae restituendum,

in eaque natalitia aut quasi-natalitia celebrandum, haud vero in die assignata, quae sua non est. *a*) Quia unumquodque festum in die sua, si potest, celebrandum est; atqui potest in casu, ergo. Potest, inquam, quia agitur de festo simplici, cui festum quodcumque, nisi primae cl. sit, non praestat impedimentum. *b*) Festum translatum, si dies e qua amotum fuit quod impedita, libera evadat, in eam reverti iterum debet, uti Cavalerius docet, quia sua est, ad quam semper clamat, quemadmodum res clamat ad dominum: quod cetera edicit quoque Decretum **3919** ad 1. Atqui licet illa dies impedita hucusque fuerit pro duplici, nunc tamen libera evasit, quia duplex factum est simplex, quod illa dies admittit; ergo. *c)* Rubricae exigunt, ut festa simplicia non transferantur, uti superius dictum fuit, sed eo die quo cadunt, celebrentur; atqui festum simplex non cadit in die assignata, sed in propria, in qua fieri potest, ergo in ista, non in illa, celebrandum est.

Haec satis sint, ut brevius concludamus propositam quaestionem dicendo: Duplex minus seu maius in die assignata, et perpetuo impeditum atque ad ritum simplicem redigendum, revertatur in diem propriam, si celebrari in ea potest uti simplex: in die secus tamquam propria remaneat, in eaque sub dicto ritu perpetuo recolatur, si fieri etiam potest; secus, regulariter nihil amplius fiat, vel S. R. C. adeunda, ut aliter rem componat, sive festum anticipando, sive uti simplex alii diei assignando. Ordinator tamen Calendarii reminiscatur oportet, dictum festum esse considerandum uti simplex, non vero uti simplificatum: hoc est, non tres ei competere, sed duas tantum commemorationes, ad 1as nempe Vesperas et ad Laudes tantum (*V. Ephem. Liturg. anni vert. 1901, n. 2, pag. 65*).

II. *E Turonibus.* **De Calendario sequendo in Cappellis privatis.** Unicum Calendarium sequi fas est non tantum in Ecclesia aut Capella principali, sed etiam in omnibus interioribus Sacellis. Siquidem Indultum, quod certe rationem

privilegii habet, dicit *in Ecclesiis et Oratoriis*. Porro decretum 9 Iulii 1895 abrogavit sola privilegia *contra se* data, scilicet, contra *uniformitatem* Missarum. Sed privilegium uniformitatem exigens non tantum in Ecclesiis, sed etiam in Oratoriis, non contra legem est uniformitatis, sed potius urget istam legem. Ergo non videtur abolitum. Et remanet etiam post decretum 9 Iulii 1895 et 9 Decembris eiusdem anni, quod Missae in Ecclesiis et etiam in dictis Oratoriis debeant esse conformes praedicto Kalendario. Quid de hoc argumentandi modo sentiendum?

Resp. Quantum videmus, cum thesi et argumentandi ratione cl. consulentis, generali principio inspecto, conveniendum est, et nos imo convenimus. Thesim a consulente propositam aliis verbis proponimus, ut facilius intelligatur: Missa in Ecclesiis et Oratoriis publicis, inter quae adnumerari etiam debet *(Decr. 3910)* Cappella principalis alicuius domus, quae ad instar Oratorii publici habenda est, ad effectum memorati Decreti *(3862)*, debet esse semper conformis officio Ecclesiae vel Oratorii publici, in quo celebratur: Missa vero in Cappellis privatis, seu interioribus Sacellis alicuius domus, esse *potest*, non tamen necessario *debet* Celebrantis Calendario conformis. Si eiusmodi est sensus praefatae thesis, iterum dicimus, eam libenter admittimus, et credimus admittendam.

Sane de prima parte dubium oriri nequit. Etenim Decretum 3862 expresse declarat. " Omnes et singuli Sacerdotes, tam saeculares quam regulares ad Ecclesiam confluentes vel ad Oratorium publicum, Missas... *omnino* celebrent Officio eiusdem Ecclesiae vel Oratorii conformes „. De altera vero parte, quod nempe in privatis Cappellis esse Missae *possint*, sed necessario *non debeant* esse Officio dictae Cappellae conformes, certum quoque constare videtur ex Decreto 3910. Nam expetita S. R. C., num Missae, quae celebrantur in Cappellis Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, Piarum Communitatum, Hospitalium et Carcerum, respondere

debeant Calendario loci, an vero Calendario Celebrantis, respondit: " Affirmative ad primam partem, negative ad secundam „, si agatur de Cappella principali. Ergo, si non agitur de Cappella principali, responsio vim nullam habet. Etenim vis responsionis in eo sita est, ut in Cappellis principalibus Missa debeat esse conformis Calendario loci, est enim affirmativa super prima parte. Ergo pro Cappellis privatis responsio vim non possidet. Consequens ergo est, ut pro Cappellis privatis lex de Missa Calendario ipsarum Cappellarum conformi lata non fuerit; ac proinde unicuique liberum sit, aut Missam in Cappellis privatis suo Calendario conformem facere, aut Calendario Cappellarum, prout libuerit.

Si vero eiusmodi est sensus propositae thesis, ut Missa, sicut in publicis Oratoriis, uti in Ecclesiis, ita in Cappellis privatis, semper Calendario loci debeat esse conformis, tunc a veritate alienam illam credimus: adeo ut onus imponat, quod lex non imponit; et nos reiicimus, uti reiiciendam iudicamus. Quid enim dictio illa significat: " Indultum, quod rationem privilegii habet, dicit *in Ecclesiis et Oratoriis?* „ Distinguendum est certe inter Oratoria publica et privata: de illis namque agi in Decreto concedimus: agi quoque de istis negamus, ex superallatis momentis. Aliunde Decretum 3862 non est Indultum, sed vera lex; praecipit enim uniformitatem Missae cum Calendario loci. Gravissima autem sunt momenta, quae ad dictam promulgandam legem S. R. Congregationem movere potuerunt. Hinc pro praesenti disciplina falsum reputari debet principium antiquum de Missa conformanda officio Celebrantis, et aliud admittendum est principium, fortasse antiquius, de eadem conformanda Missa cum officio loci. Dicimus *fortasse antiquius,* quia in antiquiori aetate hoc, quantum audivimus, erat principium retentum et actu perfectum: *Officium tibi, Missa ibi.* Momenta, quae non referimus, videre est in Ephemeridibus nostris an. 1896, pag. 18 et seq.

Nec maius robur habere censemus illa verba: *Decretum 9 Iul. 1895 (3862) abrogavit sola privilegia contra se data.* Nam qualenam est horum privilegiorum obiectum, nisi difformitas Missarum in Ecclesiis et Oratoriis publicis? Haec sunt profecto sicuti contra uniformitatem Missarum, ita contra Decretum data, proindeque revocata. Constat abunde ex Decreto *3883,* quod aperte revocat privilegium, quo nonnulli Regulares ditati antea fuerunt, et sub Gen. Decreto comprehensi explicite declarantur. Verum difformitas Missarum in Oratoriis privatis non est obiectum Decreti 3862; ergo eam nec respicit nec tangit. Lex proinde uniformitatem exigens in Ecclesiis et Oratoriis publicis applicari nec potest nec debet Oratoriis privatis, pro quibus Decretum generale silet, et particulare (*3910*) exceptionem facit.

Stat ergo veritas: In Ecclesiis atque Oratoriis publicis Missa, ex lege, debet esse conformis Calendario loci: Missa in Oratoriis privatis, proinde in interioribus Sacellis, exceptis principalibus, ut supra, dicto loci Calendario *potest* ad summum esse conformis, sed necessario non *debet*, cum ex privilegio possit esse conformis Calendario Celebrantis.

III. *E Budvicio Bohemorum* **De festo titulari, sicut et dedicationis, primario et secundario.** Si Ecclesia Cathedralis *propria* est universo Clero totius Dioecesis, *ratione subiecti onis* (uti eruitur e decreto **3863**, II, et quod docent " Ephem. Liturg. „ A. 1900, pag. 620, V.) estne *festum Titularis* ac *Dedicationis* eiusdem, pro universo Clero totius Dioecesis, primarium, an secundarium?

Resp. Indubium est, Ecclesiam Cathedralem ad totum Dioecesis clerum pertinere; hinc ad eumdem pertinent pariter duo potiora, quae in illa celebrantur festa, anniversarium Dedicationis et Titulus. Ex quo sequitur, unumquemque ex clero dioecesano aliquam ad Cathedralem Ecclesiam subiectionem necessario dicere: quae tamen non eadem est pro omnibus, sicuti pertinentia, sic per consequens subiectio.

Profecto negabit nemo, clerum Ecclesiae alicui addictum, magis esse illi subiectum, quam clerum alterum, qui addictus est alteri Ecclesiae: hoc probatione non indiget. Hinc penes omnes receptum est principium, tam Dedicationem, quam Titulum alicuius Ecclesiae ad eos magis pertinere, qui eidem sunt Ecclesiae adscripti, quam ad alios, qui alteri Ecclesiae adscripti sunt, vel saltem illi non sunt Ecclesiae adscripti, cui alii adscripti sunt. Ex quo sequitur, festa propria ac solemniora Ecclesiae Cathedralis ad omnes quoque pertinere e clero dioecesano, sed plus minusve: magis scilicet ad eos pertinent, qui sunt de illius gremio, minus ad alios, qui de eius gremio non sunt.

Hinc ab universis liturgicis admittitur, S. R. C. docente, Dedicationem Ecclesiae Cathedralis esse posse, vel primarium vel secundarium festum: primarium est in ipsa Cathedrali Ecclesia: secundarium extra ipsam. Hoc autem ex usu diversimode exprimitur apud scriptores liturgicos, sicut apud ipsam S. R. Cong. nem: ut nunc dicatur festum Dedicationis Ecclesiae propriae esse primarium, non propriae esse secundarium: nunc primarium esse festum Dedicationis Ecclesiae magis propriae, minus propriae esse secundarium; nunc, ut supra diximus, primarium esse dictum festum intra Ecclesiam Cathedralem, secundarium esse extra dictam Ecclesiam. Quod vero dicitur de Dedicatione, iisdem de causis et de Titulo iure praedicatur: adeo ut intra Ecclesiam Cathedralem Titulus sit festum primarium, extra ipsam sit secundarium.

Eapropter si occurrant simul in Ecclesia Cathedrali Dedicatio et Titulus illius, ambo duplicia I classis, Dedicatio praevalet utpote festum Domini; at si occurrant in alia Dioecesis Ecclesia Dedicatio Cathedralis, ac Titulus Ecclesiae propriae, Dedicatio cedit Titulo; profecto quia Dedicatio est extra ipsam Cathedralem, sed Titulus intra suam Ecclesiam fit, unde illud festum est secundarium, istud vero primarium, quod illi secundario praevalet.

Non ergo mirandum, si Decretum Gen. **3863** in numeris II ac III loquatur de Titulo et Dedicatione tamquam de festis propriis pro iis, qui relativae Ecclesiae sunt subiecti. Omnes enim ea propria habent ex dioecesano clero, qui et illi subiicitur; sed maior vel minor proprietas considerari debet, maior vel minor subiectio, sicque utrumque festum vel primarium vel secundarium esse potest.

IV. *E Galliis.* **De occurentia Patroni loci, vel Titularis cum Dedicatione Ecclesiarum.** On lit dan les *Annales des Prêtres Adorateurs:* " Dans les églises consacrées, si saint " Martin est titulaire de l'église, la fête de la Dédicace l'em- " porte sur le titulaire, puisque la fête de la Dédicace est une " fête primaire de Notre-Seigneur; mais dans ce cas on peut " chanter une messe solennelle de saint Martin, sans omet- " tre la messe conventuelle (Rub. Miss., Tit. VI). Si l'église " n'est pas consacrée, le titulaire l'emporte sur la dédi- " cace, car, dans ce cas, la Dédicace est une fête secondaire " de Notre-Seigneur, tandis que le titulaire est une fête " primaire.

" Si saint Martin est patron du lieu, il l'emporte, dans " tous les cas, sur la Dédicace, car le patron du lieu est, en " droit, une fête d'obligation. *Permitti nihilominus, ut patroni " festum, cuiuscumque sit personalis dignitatis; ratione feria- " tionis, praedicto anniversario praeferatur* (S. R. C., 4 fé- " vrier 1896). „

En observationes quae hac super doctrina fiunt:

Jusqu'à présent, il n'y avait pas de distinction, en France, entre églises consacrées et non consacrées, relativement à la fête de la Dédicace; le décret du 4 février 1896 déclarant que la Dédicace est une fête primaire pour les églises consacrées et secondaire pour les églises non consacrées, s'applique-t-il aux églises de France? Les *Annales de Prêtres Adorateurs* paraissent le supposer, mais nous aimerions une déclaration plus formelle du St. Siège.

Peut-on le jour de la Dédicace, lorsqu'on la célèbre comme fête primaire, chanter une messe solennelle de S. Martin? La Rubrique le permet (Rub. Miss. Tit. VI): " *Possunt cantari duae Missae,* dit-elle, *una de die, alia de festo* [1]. „ On ne doit donc pas omettre la messe *conventuelle* et même *paroissiale: De Herdt* dit que, dans les églises où on ne chant qu'une messe, on peut se contenter de chanter la messe du titulaire ou patron, mais si l'on s'en réfère aux Décrets sur lesquels il s'appuie, on constate, que le premier (23 août 1704) n'est pas dans la nouvelle collection, que le second accorde cette faculté comme une faveur, et que le troisième n'est pas *ad rem.* En outre, il faut bien le remarquer, lorsqu'il y a ainsi obligation de chanter deux messes, la messe paroissiale (*quae dicitur cum applicatione pro populo*) doit être conforme à l'office (Décret du 21 janvier 1896). C'est-à-dire que dans les églises paroissiales où il n'y a q'une messe chantée, elle doit être de la Dédicace.

Enfin, le Décret du 4 février 1896, en ce qui concerne la préférence du patron par rapport à la Dédicace, n'est pas applicable à la France; chez nous, la fête du patron, n'ayant plus la fériation, n'en saurait avoir les avantages. *Quid super his omnibus et singulis iudicandum?*

Resp. Doctrinam Ephemeridis citatae vix aliqua perlevique censura dignam reperimus; Decreti namque 3881 dispositiones refert, applicando ad casum peculiarem de Dedicatione et de S. Martino Patrono in Galliis, in quibus colitur Dedicatio omnium Ecclesiarum. Addit dispositionem Rubricae

[1] La nouvelle Rubrique excepte: Le 1er dimanche de l'Avent, le Mercredi des Cendres, 1er dimanche de Carême, le dimanche de la Passion, le dimanche des Rameaux avec toute la Semaine Saint, le dimanche de Pâques avec les deux jours qui suivent; le dimanche de *Quasimodo*, le dimanche de la Pentecôte, le lundi et le mardi de la Pentecôte, le dimanche de la Trinité, les jours de Noël, de l'Epiphanie, de l'Ascension et de la Fête-Dieu.

Gen. Missalis (*Tit. VI*), quam iure in casu applicat: licet generalis propositio de non omittenda Missa conventuali non necessario semper vera sit. Aequum est pariter, quod animadvertit in fine super permissione celebrationis festi S. Martini, ratione patronatus, contra Dedicationem, quando primarium est illud, istud vero secundarium. Brevi: quae dicta Ephemeris affirmat, iuri fere perfecte cohaerent.

Nunc ad observationes in contrarium. Primo asseritur; hactenus nullum extitisse discrimen in Galliis inter Ecclesias consecratas et non consecratas, quod attinet Dedicationem. Decretum, additur, 4 Febr. 1896, declarans, Dedicationem esse festum primarium pro consecratis Ecclesiis, et secundarium pro Ecclesiis non consecratis, applicari ne debet Ecclesiis Galliarum? *Annales des Prêtres Adorateurs*, id supponere videntur; sed nos, dicitur, magis explicitam mallemus declarationem Sanctae Sedis. Ita ferme ad litteram.

At vero animadvertere in contrarium liceat, praefatas observationes nil ponderis habere. Quid enim interest, si hucusque facta non fuit in Galliis ulla distinctio inter consecratas et non consecratas Ecclesias? Ut eiusmodi argumentatio aliquid ponderis haberet, opus esset demonstrare, assertionis posita veritate, quae fortasse revocari posset in dubium, Galliam hac in re apprime se gessisse: quod non constat, quia factum non probat ius. Factum autem explicari posset dicendo, ita se gessisse Galliarum Ecclesias, quia festum Domini reputantes Dedicationem, quam singulae celebrabant Ecclesiae pari ritu ac solemnitate, ad distinctionem non attenderunt. Quod et in aliis Ecclesiis Nationum forte accidit, quia Decretum tam solemne ac generale ea super re promulgatum nondum fuerat, ut praesenti aetate factum est.

Nec prodest dubitatio, an Decretum praefatum Galliarum respiciat Ecclesias; quia est Decretum Generale, cuius dispositiones nulla potest Ecclesia particularis effugere, quippe quod omnes easdem Ecclesias respicit, et omnes illis subii-

ciuntur. Insuper nuperrime idem Generale Decretum per aliud particulare declaratur, quod ipsimet, qui scribimus, provocavimus, ut quaestio cessaret in Galliarum Ecclesiis. Huiusce autem Decreti Dubium III generalissimum est, ut non aliquibus, sed omnibus singulisque Ecclesiis cuiuscumque Nationis inserviat. Ait enim: " Quando alicubi celebratur Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum, huiusmodi festum est ne secundarium pro illis Ecclesiis, quae consecratae non sunt? „ Responsum autem fuit: " Affirmative. „ Relegendum, si placet, hoc responsum in huius initio numeri. Quid ergo adhuc dubitandum? Peculiaris certe declaratio nequaquam pro Gallia habebitur, nisi et peculiaris petitio fiat; sed lex promulgata adeo certa est atque evidens, ut nequeat, quin Galliarum Ecclesias afficiat.

Quaerit sibi praeterea Censor in observationibus, num vere possit in die Dedicationis, ubi primarium est festum, solemnis cantari Missa de S. Martino? Et respondet affirmative, Rubricam recte citans et referens; non tamen postea recte concludens: " On ne doit donc pas omettre la Messe Conventuelle. „ Ratio fallentis conclusionis est, quia Rubrica non dicit *debent*, sed *possunt;* ergo duae Missae de praecepto non sunt, sed in facultate tantum. Neque omnimode recte se opponit Censor auctori De Herdt; quia De Herdt non solis Decretis innititur, sed Rubricae verbis, prouti paulo superius explicaverat. Haec autem fortasse ratio est, ex qua Decretum, de quo Censor, expunctum fuit; agitur enim de clara explicitaque lege. Hinc etsi Decretum e nova Collectione deletum fuerit, stat eiusdem dispositio, hoc est: " In Ecclesiis, ubi quotidie non cantatur Missa, posse celebrari tantum Missam solemnem de festo Titularis. „

Verum nihilominus est, quod subditur advertendum, parochialem Missam esse debere officio conformem, quando applicanda est pro populo: ut ubi unus est Sacerdos, de Sancto Martino Patrono, cuius transfertur officium, cantari Missa

nequeat. Conveniendum tamen, id esse per accidens, neque omnes tangere Galliarum Ecclesias; et ex iis, quae in tali conditione versantur, plures etiam indultum postulant.

Nec denique concedi per integrum potest postrema Censoris animadversio, nempe: Decretum d. d. 4 Febr., nempe **3881,** quod attinet praelationem Patroni super Dedicatione, applicari ad Galliam nequit, quod Patroni festum sit iam feriatione destitutum. Etenim, iuxta id quod supra demonstravimus, Gallia tenetur distinctionem admittere inter festum Dedicationis primarium et secundarium, prouti consecratam respicit, vel non consecratam Ecclesiam. Si ergo agatur de Dedicatione in Ecclesia consecrata, recte procedit Censoris animadversio; at si agatur de Dedicatione in Ecclesia non consecrata, Censoris animadversio fallit, quod Patroni festum, cum sit primarium, indubie Dedicationi praevaleat, quia festum est secundarium.

V. *E Fulda.* **De iure benedictionis Candelarum et Palmarum inter Parochum et Capitalum.** In Ecclesia parochiali B., quae et Cathedralis est, Capitulo non incorporata, benedictio Cinerum et Palmarum ad quem pertinet, ad Capitulum ne, an ad Parochum? An ad utrumque?

Resp. Quaerendum, et resolvendum primo est, an benedictio utraque, de qua agitur, sit capitularis, an potius parochialis. Si primum, ad Capitulum, seu ad digniorem Capituli, nisi eam Episcopus peragat, indubie spectabit: si vero sit parochialis, spectabit ad Parochum, uti patet. Atqui utraque benedictio, tam Candelarum, quam Palmarum capitularis est; ergo, non ad Parochum spectat, in casu, sed ad Capitulum. Notabimus, imprimis, benedictiones et distributiones Candelarum et Palmarum, uti etiam Cinerum non esse de iuribus mere parochialibus, sicuti definitum est per Decretum *2123* ad *5:* adeo ut etiam in aliis Ecclesiis non parochialibus, sine dependentia a Parocho, fieri certo possint, uti in Ecclesiis Confraternitatum, quamvis intra confinia territorii Ec-

clesiae parochialis. Etenim, iuxta Decretum **3813,** in Ecclisiis Collegialibus dictae benedictiones fieri *debent,* in aliis autem, quae eiusmodi non sunt, fieri certe *possunt.* Iam vero ideo in Collegialibus Ecclesiis, et Cathedralibus prae ceteris, fieri debent, quia capitulares sunt. Si enim aperias Caeremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. XVII, appositos reperies descriptos ritus pro benedictione ac distributione Candelarum, sicut eodem in Libro, Cap. XXI, videre est descriptos ritus pro benedictione ac distributione Palmarum. Sunt ergo hae functiones capitulares: secus frustra in dicto describerentur codice. Quod si in festo Purificationis Candelas, Dominica in palmis Episcopus velit Palmas benedicere, ius suum nemini licebit laedere: licebit ne Parocho iura usurpare sibi, seu Capituli, seu Episcopi?

Confirmatur ex Decreto Gen. **3865** ad III, in quo enumerantur omnes et singulae functiones, quae, impedito Episcopo, ad primam Capituli dignitatem spectant. Inter eas autem habetur quoque benedictio Candelarum atque Palmarum, quae proinde utraque de iure Capituli indubie est. Ceterum si de iure Parochi esset, Episcopo impedito, nonne ad Parochum pertinere deberet? Ita certo certius, functio parochialis habenda esset; sed constat oppositum ex supercitato Decreto, hoc est, impedito Episcopo, benedictionem Candelarum et Palmarum primae Capituli Dignitati competere, qua etiam impedita, ad alteram, et sic deinceps: profecto, quia eiusmodi benedictio capitularis est.

At posset obiici, ita Decreta statuere, quia Parochum non supponunt in eadem Ecclesia. Sed reponimus, rem ita se habere non posse, quia Cathedrales Ecclesiae ut plurimum sunt parochiales: ut Parochum supponere Decreta, potius quam non, debuissent, quod tamen nusquam fecerunt.

Praeterea, nonne Candelarum Palmarumque benedictionem Missa sequi debet, a qua illam separare, secluso Ordinario, per Decretum **2783** vetitum est? Illi ergo benedictio competit,

cui competit Missam facere; atqui Missa competit aut Episcopo, aut primae Dignitati, aut secundae, etc. numquam vero Parocho; ergo neque huic benedictio Candelarum Palmarumve competere potest.

Sed dices: aliter componi res posset, videlicet: Capitulum benedictionem peragat, utaturque iure suo; nonne tamen aliam benedictionem agere Parochus poterit, tam in die Purificationis, quam in Dominica palmarum? Sed reponimus negative, idque in eadem Ecclesia non licere: *a*) Quia, cum de iuribus mere parochialibus eiusmodi benedictio non sit, et aliunde in eadem Ecclesia solemniter a ius habentibus fiat, aliam agere Paroco non licet; *b*) Nova res esset, ut in eadem Ecclesia Candelarum et Palmarum benedictio, altera solemnior, altera minus solemnis, bis fiat; *c*) Zelotypiae admiratio et scandalum facile oriretur in Ecclesia, conquestus ac dicteria vitari non possent.

Cum itaque res ita se habeant, concludimus benedictionem Candelarum et Palmarum competere Capitulo, et nequaquam Parocho, qui ab ea abstinere in casu debet, et ius quod in propria Ecclesia haberet, maiori se cedere.

V. *E Lingone in Gallia.* **De die octava festi SS. Nominis Mariae exigente, in occursu, translationem septem Dolorum.** *Ephem.* 1900, pag. 697, dicunt diem octavam SSmi Nominis Mariae exigere translationem Septem Dolorum. *In se* hoc certum est; sed quum dies octava Nativitatis (fest. prim.) cedit SS. Nomini, quando simul occurrunt, nonne idem sentiendum est de die octava SSmi Nominis quod est festum dumtaxat secundarium? Haec exceptio non impediret regulariter, diem aliquam octavam praevalere festo Sept. Dolorum, sicut dies octava Nativitatis praevalet super altero festo dup. mai. Quid?

Resp. Aliis verbis sic difficultas proponi potest: si dies octava Nativitatis Deiparae cedit, in occursu, festo SS. Nominis eiusdem Virginis, quamvis illud primarium sit, istud

secundarium, quare dies octava SS. Nominis non debet cedere, eodem in occursu, festo Sept. Dolorum, cum ambo sint secundaria? Sed notandum est, legem peculiarem, iuxta quam dies octava Nativitatis festo SS. Nominis in occursu cedit, speciali, ni fallimur, momento inniti, quod pro die octava SS. Nominis et festo Sept. Dolorum nil valoris habet. Satis enim est nota maxima relatio inter nativitatem et nominis impositionem: quae relatio nulla est inter festum vel octavam diem SS. Nominis Mariae, et festum Septem Dolorum.

Hac arrepta occasione, praesentem opportunum credimus declarare disciplinam tenendam circa dies octavas festorum Deiparae, et festa eiusdem, quando simul occurrant. Plura enim Decreta ante novae Collectionis promulgationem praedicabant, occurrentibus simul die octava festi Deiparae et alio eiusdem Virginis festo, de hoc faciendum, diemque octavam penitus omittendam, nec plus nec minus, uti occurrentibus die octava Nativitatis et festo SS. Nominis Mariae. A Carpo (*Bibl. Lit. pars 2, Cap. X, n. 148, I, in nota*) redarguit scriptorem quemdam sustinentem, dictam regulam non esse generalem, sed veluti exceptionem pro sola occurrentia festi SS. Nominis cum octava Nativitatis Deiparae. Refert autem plura Decreta, quibus ipse generalem regulam demonstrat, haec autem Decreta antiquis numeris respondentia sunt: nn. 3098, ad I; 4900, ad 2; 5135, ad 2; 5194, ad 4. Verumtamen nullum ex iis Decretis in nova Collectione remansit, sed cuncta expuncta fuere; quinimo neque illud superfuit, cuius normam esse sequendam alia Decreta dicebant, fortasse quia Rubrica specialis Missalis, quae post festum SS. Nominis prostat, satis superque est. Nonne concludendum foret impraesenti, Rubricam in casu non constituere regulam, sed exceptionem? Adeo ut, generaliter loquendo, occurrentibus simul die octava aliqua, seu Deiparae, seu Sanctorum, cum alio festo eiusdem personae, quod duplicis II cl. non sit, de octava esset agendum, festumque aliud transferendum, si translatio-

nem patiatur? Haec profecto Rubricae generales edicunt, haec norma consueta, haec proinde etiam impraesenti regula sequenda videtur.

Cavalerius nihilominus, quem etiam citat A Carpo (*loc. sup. cit.*), aliud prima fronte sentire videtur; sed A Carpo illius verba abrupte referens, quod facit contra se prudenter silet. Equidem Cavalerius, relato Decreto, quod e Collectione deletum est, quia nunc ex eo Rubrica specialis facta est, ait: " Hinc generalis exurgit regula non transferendi festum duplex maius occurrens in die octava, quoties utrumque officium ad eumdem pertinet Sanctum, *vel saltem non transferendi festum SS. Nominis, si incidat in diem aliquam octavam eiusdem Deiparae.* „ At, nota modestiam errandique formidinem Cavalerii, qui paulo post subiungit: " Quoniam vero exceptio nonnisi in favorem SS. Nominis usque modo legitur facta, et aliunde Rubricae nullam distinctionem agunt, sed absolute disponunt de translatione festi, generali regulae illi, in tota universalitate conceptae, *nonnisi formidolose nostrum praestamus assensum,* absolutum autem et tutum, si festum sit ex iis, quae diem aliquem octavae vel huius commemorationem instituta sunt perimere; tunc enim undequaque currit paritas, habetque locum integre dispositio Decreti, quod alias censeri posset quid speciale, dicta de causa, de festo SS. Nominis disposuisse (*Tom. II, Cap. XVIII, Decr. VIII, n. II*). „

Hinc sequitur, doctrinam A Carpo, Decretis attentis, sustineri hucusque potuisse; sed Cavalerii doctrinam illi non omnimode favere. Quidquid sit, Decretis impraesenti sublatis, dicendum cum Cavalerio, huic tantum posse absolutum et tutum praestari assensum doctrinae, docenti festum duplex maius octavae diei praevalere, quando festum institutum est ad dictam octavam diem perimendam. Atqui hoc tantum constat de festo SS. Nominis propter specialem Rubricam, haud vero de aliis; ergo festum SS. Nominis, dup. mai., perimit certo diem octavam Nativitatis, si utrumque festum oc-

currat: alia vero festa diem octavam, de eodem quamvis subiecto, non perimunt. Non perimunt, inquimus, et certo; quia Decretum generale **3851** antiquiora Decreta complens explicite declarat, festum Sept. Dolorum, etsi translatum, ergo a fortiori in die propria, impediri posse a duplici mai. primario, ab alio festo Deiparae etiam secundario, aut ab aliqua octava die. Ergo festum unicum, quod perimit diem octavam, in qua occurrat, est festum SS. Nominis: reliqua festa duplicia maiora, etsi occurrant in die aliqua octava festi, ad idem subiectum pertinentis, eamdem diem octavam ex generali lege non perimunt; sed e contra de die octava faciendum, et dup. mai. transferendum. Consequenter, ut pro dubio proposito concludamus, occurrente octava die SS. Nominis Mariae, utpote Titularis, cum festo Sept. Dolorum, dup. mai., de die octava agendum est, et festum Sept. Dolorum transferri debet iuxta Rubricas.

VI. *Ex Aversa.* **De praecedentia in translatione festorum, respectu habito ad Decretum 3756.** Attento decreto d. d. 2 Dec. 1891, n. 3756 et eiusdem decreti interpretatione (Eph. lit. vol. XV, an. 1901, p. 167-168 et 291) quales ex duobus infra positis translationibus veritati respondent?

N. 1. Juxta ius antiquum.	N. 2. Juxta ius novum.
9 novemb. Dom. XXV post Pent. Dedicatio Archib. SS. Salvatoris dup. mai. Com. Patrocinii B. M. V. ad instar semplicis quia super est.	**2 Dec.** S. Andreae Apost. dup. 2 cl. fuit 30 Nov. Com. S. Bibianae V. M. semi dup. ad instar simplicis.
22 Decembris. (D. 4) S. Andreae Apost. dup. 2 cl. fuit 30 Nov.	**22 Dec.** (D. 4) S. Thomae Ap. dup. 2 cl. fuit 21 Decemb.
23 Dec. (D. 4) S. Thomae Ap. dup. 2 cl. fuit 21 Decemb.	**23 Dec.** (D. 4) Patrocinium B. M. V. dup. mai. fuit Dom. 2 Novemb. id est die 9 Novembris.

Resp. Privilegium, quod Decreta concedunt circa repositionem festorum, quae diebus suis impediuntur, in die festo

semiduplici vel etiam duplici impeditos, respicit tantum duplicia II classis, aut etiam, si casus occurrat, duplicia I classis. Sed aliud privilegium reponendi in praefatos dies etiam duplicia maiora, non est concessum per Decreta, sed est privilegium particulare, quo plures quidem Ecclesiae gaudent, non vero omnes. Iam nunc in casu allato habentur impedita tria festa, id est: Patrocinium B. M. Virginis, S. Andreas Apost., et S. Thomas item Apost. In num. 1° Patrocinium Virginis redigitur ad ritum simplicem: in num. autem 2° idem festum reponitur in diem 23 Dec. At hoc festum neque I, neque II cl. est, sed duplex maius; quo ergo iure transfertur, si pro eo dies libera in Calendario non suppetit? Intelligimus quidem, pro eo diem liberam fuisse inventam, nempe 23 Dec.; sed in detrimentum semiduplicis, seu S. Bibianae, in quo repositus est S. Andreas, dup. II classis. Sed vero animadvertendum est, Decretum **3756** favere quidem duplicibus II classis, non autem duplicibus maioribus: adeo ut tunc tantum illa duplicia II cl. occupare valeant semiduplicia, cum dies liberi desint. In casu vero non desunt; duo enim duplicia II cl. sunt, et duo quoque dies liberi. Ergo hos occupent duos dies liberos, et in pace relinquant S. Bibianam Virginem, Patrocinio Virginis, duplici tantum maiore, cui privilegium Decreta non tribuunt, ad simplicem redacto. Haec quidem ex iure privilegii, quod Decreta concedunt. Si vero Ecclesia, ad quam Calendarium hoc pertinet, privilegio speciali gaudeat, ut etiam duplicia maiora diebus suis impedita in semiduplices saltem dies reponi valeant, tunc iure quoque translatum, et repositum fuit festum Patrocinii in diem 23 Dec. eoque in casu probanda etiam est repositio S. Andreae in diem 2 Dec. loco S. Bibianae semiduplicis, quae ad simplicem ritum redigenda erit.

Eapropter concludimus. Si Ecclesia nullo peculiari gaudeat privilegio, recta est dispositio Calendarii iuxta num. 1^{um}; si vero Ecclesia peculiari gaudeat privilegio, de quo superius,

recta est dispositio Calendarii iuxta num. 2°. Diximus autem *iuxta num. 1um et iuxta num 2um*, non vero *iuxta ius antiquum* et *iuxta ius novum;* quia ad hoc quod pertinet negotium ius antiquum nulli fuit mutationi obnoxium. Obiectum enim mutationis, si sic liceat loqui, fuit tantum ordo translationis, vi cuius officia praestantiora praecedere possent alia minus digna; ac proinde illa officia II tamen classis, occupare possent sedes semiduplicium, dummodo pro his officiis minus dignis liberi dies superessent, in quibus locari possent. Secus, hi ad ritum simplicem redigendi sunt diebus suis, sedesque liberae inservire debent pro duplicibus II classis.

Fatendum tamen nobis est ex amore veritatis, Ephemerides ipsas aequivoco praefato, in quod offendere visus est cl. Consulens, dedisse causam, proponendo scilicet exemplum in num. 3, vertentis anni (*pag. 168*), in quo supponuntur duplicia tam II cl. quam maiora, in sedes semiduplices reponi posse. Quinimo, cum decem officia supponantur impedita, hoc est sex duplicia II classis, et quatuor duplicia maiora, in decursu illa non amplius sex, sed septem supponuntur, ut officia impedita non amplius decem forent, sed undecim. De duabus hisce aberrationibus excusationes facimus, sed specialiter de prima; quae ideo accidit, quia plures sunt in Urbe Ecclesiae et Communitates dicto privilegio fruentes, ut solutor quod plurium tantum erat, in decursu expositionis ad omnes ex inadvertentia pertinere supposuerit. Quidquid vero sit, stat veritas quam enuntiavimus et exposuimus, cui Calendariorum ordinatores se conformare debent, seu ex iuris dispositione, seu ex ipso recto sensu liturgico.

Nota. — Respondere quid possumus ultimae difficultati? Vere duo responsa, de quibus agitur, bene Ritui Romano, non autem monastico respondent.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Austria.* 1. Dies 15 Maii est dies statuta a Summo Pontifice pro novo festo S. Ioannis Baptistae de la Salle recolendo, quaeque idcirco est dies quasi-natalitia. E contra dies S. Isidori Agricolae est tantum assignata diei 15 Maii. Sed dies quasi-natalitia praevalet diei assignatae; ergo die 15 Maii fiat de S. Ioanne Baptista, quae est eius dies propria, translato ad diem primam liberam S. Isidoro, utpote in diem non propriam (Vid. Decr. *num.* **3811** ad III).

Nota. Absque dubio in hymno *Iste Confessor* mutandus est tertius versus, cum dies natalis S. Ioannis Baptistae de la Salle sit dies 7 Aprilis. Si in editionibus eius officii hucusque vulgatis haec mutatio non adnotatur, tamquam error typographorum censendus est, qui corrigi debet.

2. Ex Decreto b. m. Pii Pp. IX, d. d. 7 Iulii 1871 (*num.* **3252**), quo festum primarium S. Ioseph ad ritum duplicis 1ae classis est evectum, eiusque Patrocinii festum ad universalem Ecclesiam extensum, sub ritu duplici 2ae classis, colligi potest hoc secundum festum legibus translationis, sicut alia festa, subesse. Dicit enim Decretum: " Volumus quod tam in festo natali S. Iosephi, quam in alio ipsius Patrocinii, *etiamsi occurrant extra Dominicam diem,* addatur semper in Missa symbolum seu *Credo*, etc. „ Decretum vero in *Montis Regalis* (**num. 3201**) regulam ponit pro hac translatione facienda; statuit enim, quod, si Dominica III post Pascha occurrat aliud festum altioris ritus vel maioris dignitatis, festum Patrocinii transferendum est in diem primam liberam,

extra tamen Dominicam diem.[1] Itaque in casu proposito cum quotannis Dominica III post Pascha celebretur in nonnullis paroeciis festum Dedicationis propriae Ecclesiae, festum Patrocinii transferendum est in diem primam liberam; servato de cetero ritu temporis. Quod vero diem liberam seligendam attinet, cum res aliqua difficultate laboret, super ea iam proposita est *Solvenda quaestio.*

3. Regulares degentes in loco ubi S. Ioannes Baptista patronus est, dicere debent *Credo* tantum in Missa diei festi. In aliis diebus infra octavam illud dicere non debent, exceptis illis in quibus ab omnibus dicitur ratione Dominicae vel octavae Ss. Apostolorum Petri et Pauli, aut simili. Regulares enim agunt de octava S. Ioannis Baptistae non quia patronus est, sed quia illa gaudet pro universali Ecclesia.

II. *Pro Dioec. Utinensi.* Pro festis alicui Dominicae affixis transferendis, regula generalis sequenda est; nempe assignanda sunt in primam diem liberam, extra Dominicam diem, nisi ex privilegio ad aliam Dominicam affigi debeant. Si hanc regulam casui proposito applices, habebis; festum Purissimi Cordis B. Mariae V. transferendum esse perpetuo in primam diem liberam, in illis paroeciis, quae Dominica III post Pentecosten Dedicationem Ecclesiae propriae celebrant, cum hoc festum praevaleat. Nobis videtur notabile adesse inconveniens, si aliquando Ecclesiae istae particulares festum Purissimi Cordis prius recolere debeant, quam aliae; quamvis lex quae generaliter accidunt, respiciat, non quae accidentaliter. Hinc expectetur *solvenda quaestio,* ut supra.

III. *Pro eod. loco.* Festum S. Ioachim Patris B. Mariae V. die sua impeditum ob occursum alterius festi maioris ritus vel dignitatis, ut in casu, transferendum est in primam diem li-

[1] Decretum huc allatum (in Decreto *Montis Regalis* d. d. 10 Sept. 1847) in nova Collectione non legitur; sed cum aliis Decretis cohaereat, adhuc vim legis habet.

beram. Cum autem haec occurrentia, quamvis saepissime, non tamen semper accidat, non potest dici perpetua, sed accidentalis; ideoque non potest assignari festum S. Ioachim alicui diei liberae *semel pro semper,* sed quotannis huiusmodi assignatio facienda est, quando nempe datur occurrentia.

IV. *Pro Liguria.* Anniversarium electionis Episcopi celebrandum est die quo a Summo Pontifice electio facta fuit in Consistorio; minime vero die quo electus a Capitulo Cathedralis praesentatus fuit (Confer Decr. *num.* **2365** ad 6).

V. *Pro Curenna.* Missa solemnis de B. Maria V. de Monte Carmelo, quae in proximiori Dominica ex privilegio ad populi commoditatem cantatur, non est censenda tamquam Missa votiva, sed tamquam ad festum pertinens, cuius solemnitas transfertur. Ideoque illi applicandae sunt regulae in Decreto **3754,** pro solemnitate festorum transferenda, datae. Legitur autem in isto Decreto ad II: " pro solemnitate, quae transfertur, unica Missa intelligitur more votivo canenda ut in festo, cum *Gloria,* una tantum oratione, *Credo* et Evangelio S. Ioannis in fine: ubi tamen non adsit Missae Conventualis obligatio, addatur sola commemoratio Dominicae sub distincta conclusione, eiusque Evangelium in fine. „

VI. *Pro N. N.* Dies 28 Ianuarii secunda est propria pro festo SS. Nominis Iesu, die sua impedito, dummodo tamen alicubi fieri non debeat de alio festo maioris ritus, vel aequalis sed primario. Nam in isto casu festum SS. Nominis in primam diem liberam transferendum est. Confer Decr. *num.* **3872** ad II, et Decr. *num.* **3639** ad III, ubi quaeritur: cum dies 28 Ianuarii impedita sit a festo S. Iuliani (dupl. 2^{ae} classis), quomodo agendum quando in praedictam diem transferri debet festum SS. Nominis Iesu? *Resp.:* die 28 Ianuarii fieri debet de S. Iuliano, translato in diem primam liberam festo SS. Nominis Iesu.

VII. *Pro N. N.* In canenda Missa votiva, non ex solemnioribus, et quando prius cantata est altera Missa de die, ordo

sequens optime servari potest ac debet: Cantata Missa de die, canitur ex. gr. Missa votiva SS. Crucis post Nonam. In hac Missa non est facienda comm. officii diei, nec aliae Commemorationes, si quae factae sint in Officio, sed secunda et tertia Oratio dicuntur de tempore (Decr. S. R. C. *num.* **1421** ad 2; et *num.* **2327** ad 3.

Pro praedictis autem orationibus sequens ordo teneri potest:

1. A Circumcisione usque ad Purificationem B. M. V. dicitur 2 Oratio *Deus, qui salutis,* 3 *Ecclesiae.*

2. Infra Octavam Purificationis, 2 or. *Concede,* 3 *ad libitum.*

3. Ab Oct. Purificationis ad fer. IV Cinerum, 2 or. *A cunctis,* 3 *ad libitum.*

4. A feria IV Cinerum usque ad Dominicam Passionis, 2 or. *A cunctis,* 3 *Omnipotens.*

5. Infra hebdomadam Passionis, 2 or. *Ecclesiae,* 3 omittitur.

6. Tempore Paschali, 2 or. *Concede,* 3 *ad libitum.*

7. A Dom. SS. Trinitatis usque ad Adventum, 2 or. *A cunctis,* 3 *ad libitum.*

8. In Adventu, 2 or. *Deus, qui de B. M. V. utero,* 2 *Ecclesiae.*

VIII. *Pro Budvicio Bohemorum.* Quaeritur: Antiquum Decretum d. d. 22 Sept. 1703 ad 10 affirmabat festum S. Barnabae Apostoli transferendum esse iuxta ordinem temporis, non vero dignitatis personalis, ante alia festa eiusdem ritus. Idem affirmabat aliud Dec. ad IV in *Ephem.* vulgatum (*an.* **1896** *pag. 516*). Ast in nova Collectione Decretorum tum illud antiquum Decretum ex toto, tum illud punctum ad IV Decreti ab *Ephem.* vulgatum (in nova Collectione legitur sub *num.* **3919**) exsularunt. Quid ergo nunc tenendum? — *Resp.* Patientiam habeat Rev. Consulens, et quamprimum exibit novum Decretum, omnem quaestionem dirimens.

IX. *Pro Neapoli.* Missa *de Requie* pro defunctis in genere est illa quae legitur in Missali sub titulo: *in Missis quotidianis defunctorum*, absque ulla mutatione. Decretum generale hac de re satis clarum est. " III. Si pro defunctis *in genere* Missa celebretur, Orationes esse dicendas quae pro Missis quotidianis in Missali prostant; eodemque ordine quo ibi sunt inscriptae (Dec. *num.* **3920**).

X. *Pro Gallia.* Calendaria non subiacent, ni fallimur, regulis generalibus a S. Indicis Congregatione promulgatis. Supponitur enim Episcopos demandasse huiusmodi munus viris in re liturgica peritioribus, qui idcirco non indigeant ut ab aliis corrigantur. Ceterum cupiendum valde est ut Episcopi ipsi confectionem Calendariorum pervigilent, ut magis quam fieri potest in lucem emendata prodeant. Cum res ita se habeat, necessarium non est ut praeseferant *Imprimatur* Ordinarii vel Superiorum Ordinis.

XI. *Pro Lingone.* 1. In Indice Decretorum proxime vulgando, ad pag. 236 invenimus inter se collata duo Decreta, de quibus est quaestio; et, compendifacta relatione antiquioris, nempe **3112** ad 1, Index haec habet: " Sed vide Decretum **3735** ad I et II, in quo hoc Decretum aliquantulum immutatur. „ De numeri vero III Decreti **3755** collatione cum numero I Decreti **3112** ne verbum quidem. Id significat Decretum antiquius, in dicto numero, intelligendum esse de Missa pro die obitus: dum numerus III Decreti Gen. recentioris agit non de Missa diei obitus, sed de illa, quae post tempus utile, prima post obitum dicitur.

2. Cum Missa conventualis de Expectatione partus, quae in pluribus est eadem ac Missa de feria IV Temporum, omitti non debeat, visum nobis fuit veluti consectarium, ut Missa conventualis de vigilia non omitteretur Assumptionis, licet altera dicenda esset de alio festo Deiparae. Rem in *statu quo* relinquimus, et competens auctoritas unice posset quaestionem dirimere.

XII. *Pro Quito.* 1. Servari potest consuetudo de processione Litaniarum maiorum exposito modo facienda, dummodo: 1. Pluviale Canonici reservent pro solis Litaniis maioribus, in minoribus vero incedant in habitu chorali: 2. Velum humerale non adhibeat Celebrans, utpote extra locum et ordinem: 3. Casulam Celebrans, et Ministri manipulos in fine processionis accipiant, Canonici autem pluvialia relinquant.

2. Feria VI Passionis, in Quadragesima, Missa de festo Sept. Dolorum post Tertiam dicenda est, alia de feria post Nonam; et Rubricae serventur: si aliter fieri velit, quare non expetitur Indultum?

3. Color caeruleus est extra quinque colores, in Ecclesia romana receptos, illiusque usus ex privilegio est; ergo adhiberi non debet, nisi in Missis in quibus permissus est, inter quas Missa de vigilia Imm. Deiparae non extat; ergo.

4. Preces post Missam praescriptae, statutae sunt pro privatis Missis, non vero pro solemnibus, quales vel sunt vel censendae sunt omnes Missae conventuales, etsi lectae. Ex quo autem Decretum **3697,** ad VII, verbum *posse* adhibeat, non vero *debere,* nil sequi videtur; quia cum solemnis considerari possit Missa conventualis lecta, talis habenda est in casu, ratione uniformitatis.

5. Quod attinet cantus puellarum in Ecclesia, Decretum **3964** servari oportet, cum satis sit grave: et de incommodis quae ex illius inobservantia derivant, Episcopi clerique conscientia respondebit.

6. Decretum **1462** particulare est, et pro universis casibus, qui diversi esse possunt, inservire nequit. Apud Doctores admittitur, Canonicum poenitentiarum, ubi ordinum divisio non extat, teneri saltem diebus solemnioribus inservire pro Diacono et Subdiacono, dummodo fidelium confessiones excipere non debeat (*V. Pallottini,* Canonicatus, *§ VII, n. 225 et seq.*).

7. Circa horam, qua incipit in loco Matutinum Tenebrarum, non credimus esse interloquendum, si ita fert consuetudo, et assentit Episcopus, attenta citata Caeremonialis lege, quae aliquam latitudinem patitur.

8. Collatio Baptismi in Sabbato Sancto, post fontis benedictionem, non est praeceptiva, cum praeceptum in lege Caeremonialis Episc., praesenti maxime disciplina inspecta, non habeatur.

XIII. *Pro Vico.* 1. Generalis norma circa *alleluia* paschali tempore extra officium, est eadem, iure docet a Carpo aliique, quae obtinet pro Officio parvo B. M. Virginis: ut scilicet non addatur antiphonis et versibus nisi in casibus praescriptis, sed recitentur eadem prorsus ratione ac infra annum, haud iuxta leges, quas sequi opus foret, si illa in officio locum haberent (*Calend. Perp. adnot. in temp. pasch., n. 6*). Adm. Rev. Consulens principium applicet ad singulos casus, quos in Dubio nobis proposito recensuit.

2. Convenientius est ut Episcopus ad thronum, potiusquam ad altare, uti in aliis casibus, antiphonam *Salve Regina* intonet: detecto mitra capite, quam postea resumet, et sedebit. Mitra deposita post finem antiphonae, et stans Orationem cantabit, ut in similibus.

3. In quibuscumque processionibus intra Ecclesiam omnes detecto capite incedere debent: Celebrante, Ministris sacris alliisque paratis exceptis, qui, nisi deferatur Sacramentum aut lignum Sanctae Crucis, tecto incedunt capite. Extra Ecclesiam, nisi de Sacramento aut ligno S. Crucis fiat processio, in qua omnes detectum habeant caput, clerus omnis incedit capite tecto cum bireto, Reliquiam deferente excepto, qui detecto capite incedet cum suis ministris pariter detectis. Episcopus tamen, si Reliquiam deferat, non S. Crucis, neque Sacramentum, caput Mitra opertum habet. Ad intonationem hymni *Te Deum* detectus erit mitra et stabit, sicut infra

hymnum. Pileolo habere licet caput tectum, quoties bireto cooperitur, ut de aliis taceamus casibus.

4. Si processio in honorem Sancti fiat, de quo non fuit Missa conventualis, et immediate post hanc habeatur, idem Missae color servari potest, ad normam benedictionis post Missam aut Vesperas. Consultius esse credimus, dictam processionem post aspersionem instituere.

XIV. *Pro Aversa.* 1. Licet, citra dubium, in processione Corporis Christi ad singula altaria post *Tantum ergo,* dicere lingua vernacula notam Laudem *Dio sia benedetto,* sicut etiam post reditum in Ecclesia eamdem laudem denuo repetere; quia post Benedictionem dicta Laus semper permittitur.

2. Iuxta Caeremoniale Episc. (*Lib. I, Cap. XII, n. 1)* habenda est certe in altaris ornatu ratio temporis; hinc in vigiliis, quae poenitentiae dici dies possunt, flores apponendi non videntur super altari. Nihilominus, ad vigiliam Nativitatis, quae sui generis est, et ad Laudes quivis luctus cessaret, eiusmodi dispositio extendenda non apparet: eoque maxime, quia post Matutinum apponi indubie possunt flores inter candelabra altaris. Consultius proinde videtur, ut ante ipsum Matutinum solemniter et cum florum vasis altare praeparetur.

3. Post Decretum *in una Ordinis S. Benedicti* quod initio huius numeri retulimus, non videtur prohibita in officio repetitio versus " Ora pro nobis „ quando subiectum, cui dirigitur Oratio, mutatur. Hinc poterit dici, a fortiori post officium, versus " Ora pro nobis, Pater, etc. „ etsi post antiphonam " Salve, regina „ dictum fuerit " Ora pro nobis, S. Dei Genitrix. „

XV. *Pro Histria.* Missam cantare de die pro defuncto in colore diei, diebus impeditis pro Missa de requie, licitum quidem est, nisi de duplici I classis agatur, sed non erecto castro doloris, ac si Missa esset defunctorum. Vel saltem candelas,

tempore dictae Missae cantatae, accensas tenere prohibitum est; et, vel castrum doloris erigi post Missam debet, vel certe saltem post Missam candelae accendendae sunt, dum Celebrans debet in sacrarium ire, paramenta nigra pro Absolutione sumpturus (*V. Decreta* **2186, 3014** *ad 1*).

XVI. *Pro Roma.* Hymnus in festo Omn. Sanctorum Monachorum Ordinis, uti in misso nobis folio prostat, et alter de Communi, non sunt historici; ergo, si quomodocumque impediantur, non sunt coniungendi, aut postponendi.

XVII. *Pro eod. loco.* Si Missa celebretur in Altari ad populum verso, cessat ratio, cur Missale ad *Evangelium* transversaliter collocetur. Id fiet postea, ad Celebrantis commoditatem, pro Offertorio, Secretisque legendis.

XVIII. *Pro Alexandria in Pedemontio.* Non solum non constat certo, Canonicos Cathedralis Ecclesiae ius habere sepulturae in propria Ecclesia, electionem fecerint vel non; sed potius dicendum videtur constare oppositum. Hoc enim supponitur in pluribus Decretis, uti **1368, 1598** ad 5, etc.; et ex Decreto **2441** ad 8 et 11 idem potest, ni fallimur, cum certitudine inferri. Sola fortasse consuetudo efficere potest, ut Canonici Ecclesiae Cathedralis sepeliri in ea possint iuxta Decr. *S. R. Congnis* **2623,** uti in Nota V. declaratur, et S. C. Conc. 16 Febr. 1867, *Divionen.* Canonicos *honorarios* eiusdem Ecclesiae Cathedralis, eodem iure, si alii *de numero* gaudent, et ipsos gaudere credimus, cum de honore agatur. De Canonicis Ecclesiae Collegiatae nil certi affirmare possumus.

XVIII. *Pro Neapoli.* 1. Cum in Breviario monastico antiphona tertii Nocturni pluries desit, eadem est enim cum alia iam dicta, credimus posse pro quarta commemoratione sumi, sive tempore paschali, sive extra id tempus, antiphonam primam primi Nocturni: id intulimus e prefati Breviarii monastici consideratione super Communi Apost. Evangelist., unius ac plurium Martyrum temp. paschali, et unius Martyris extra dictum tempus.

2. Quando festum SS. Philippi et Iacobi occurrit in Sabbato ante Dom. IV post Pascha, in ipso Sabbato legitur Initium Epist. B. Iacobi, in Dominica autem quae sequitur, cum fiat de S. Athanasio, legendae sunt lectiones *Sapientiam,* iuxta Rubricam peculiarem Breviarii monastici.

3. Die 7 Maii, cum incidit in Dominicam infra octavam Ascensionis, initium Epistolae B. Ioannis pridie lectum in officio praedicti Apostoli ante Portam Lat. non debet iterari. Iure enim applicanda peculiaris Rubrica de apparitione S. Michaelis Arch. occurrente in praefatam Dominicam: consequenter dicantur Lectiones de Communi.

4. Quando festum S. Ioannis ante Portam Latin. incidit in feriam II post Dom III Paschae, lectiones I Noct. erunt *Incipit lib. Apocalyps.* e Dom. III praedicta.

I. *Pro Neapoli.* 1. Festum, quod transfertur quoad se, uti Annuntiationis in feriam VI Parasceve, vel Sabbatum Sanctum, vel S. Benedicti in maiorem hebdomadam incidentis, ius habet ut annuntietur pridie in Martyrologio, cum agatur de die, ex privilegio, severiori sensu *propria,* iisdem ac die propria verbis: prouti iure merito A Carpo docet.

2. Occurrente festo secundario etsi fixo, puta Tit. Cathedr. Eccl. extra ipsam, cum festo primario, etsi mobili, puta S. Ladislao Patrono regni, festum primarium praevalet secundario, in paritate ritus, tam in occursu, quam in concursu.

3. Pro hymnis S. Io. Cantii servari debet Rubrica specialis Breviarii monastici, licet aliquantulum differat a Rubrica speciali Breviarii Romani, nisi et Rubricae monasticae reformandae praescribantur. Atque idem credimus dicendum circa hymnos S. Martinae.

4. Commemoratio de S. Maria in Suffragiis, iuxta Rubricas, semper omittitur in officio de eadem, sive occurrente, sive de S. Maria in Sabbato. Item semper quoque omittitur in Officio parvo B. M. V., unico excepto casu, in quo iuxta con-

suetudinem dici potest, quando Ecclesia, in quo parvum Officium dicitur, B. M. Virgini dicata est.

5. **Festum** S. Benedicti non praevalet in concursu **Officio** S. Ioseph, bene tamen in occursu; hinc Vesperae integre esse debent de eodem S. Ioseph.

6. Ut quid tempus terere in die natali S. Gregorii diiudicando, cum videatur incertus? Quid inconvenientis, si die natali diceretur: *meruit supremos laudis honores?*

7. Officia patronorum recitanda sunt ut in *Proprio locorum;* ergo lectiones pro S. Io. Cantio Patrono esse debent *Beatus vir.* Accidere omissio potuit in Breviarii monastici Rubrica quoad verba: " praeter lectiones I Noct. quae sunt *Beatus vir.* „ Sed certi nil dicere possumus ad hoc quod attinet.

8. B. Virgo Lauretana uti Patrona habenda est in Piceno; ergo et Regulares illic degentes officium uti Patronae de Virgine Lauretana recitare debent. Atqui in officio uti Patronae, dictae Virginis additio, de qua inquiritur, facienda est; ergo et a Regularibus in dicto officio inserenda est.

SOLUTIO QUAESTIONIS

PRO MENSE IULIO 1901 PROPOSITAE.

PROPOSITIO.

Feria IV in Parasceve, si Diaconus Missae nequeat deponere Calicem ex Urna, alius Diaconus id agens stolam ne poterit *nigram* induere? Et presbyter Capellani munere fungens in Missa de Requie privata Episcopi, si forte tabernaculum aperire debeat pyxidemque extrahere, eiusdem ne coloris stola uti poterit?

Nota. Cum duae ad Directionem missae fuerint solutiones, sinant, precamur, benevoli lectores, ut utramque evulgemus, quamvis altera a prima aliquantulum differat. Utraque nihilominus cum satis sit utilis, ab utriusque cognitione nolumus fraudare lectores: negotium, cetera, quod opinionis attinet diversitatem, in incerto pro nunc relinquentes.

SOLUTIO PRIMA.

Quaestio proposita, quoad utramque illius partem, iam devoluta fuit ad Sacram Rituum Congregationem.

a) *Ad primam partem,* scite dicta Congregatio respondere directe non censuit, sed sustulit quandam consuetudinem, declarando eam esse contra Rubricas, et ideo nihil de colore stolae statuit.

Exponebatur ab immemorabili, Sacerdotem capellanum feria VI in Parasceve utentem stola *albi coloris,* aperire Capsulam, accipere Sanctissimum, et illud tradere Diacono, qui postea dat ad manus Celebrantis, dum e contra Magister Caeremoniarum vellet stolam in casu esse *nigri coloris* adhibendam. Quid autem docuit Congregatio? " *Excluso capellano, calix extrahatur et deponatur a Diacono iuxta Rubricas* (S. R. C. 16 Dec. 1828, n. **2669** ad 1). „ Unde, extractione Sanctissimi e Capsula non pertinente vi Rubricarum nisi ad Diaconum, quaestionem stolae iudicavit otiosam in casu, et exinde ad dubium non respondit.

Quid autem indicat Rubrica huius diei propria, cum agit de extractione Calicis ab Urna? A quo peragenda est actio? " *Diaconus interim aperit capsulam... tum Diaconus* (is qui cum Celebrante processit, non alius ab illo diversus) *extrahens Calicem cum* Sacramento de Capsula dat ad manus Sacerdotis. „ Adeo hoc verum est, ut ipsum Caeremoniale Episcoporum, si quam actionem Sacristae assignat, non aliam permittit nisi Capsulae aperitionem. " *Genuflexus* (Episcopus) *super Pulvino* (legitur lib. 2, cap. 25, n. 31), *incensat triplici ductu Sanctissimum Sacramentum, Sacrista aperiente Capsulam, ubi includitur;* „ et prosequens, extractionis actionem assignat primo Diacono adsistenti: " *Tunc primus Diaconus assistens accipit Sanctissimum Sacramentum de dicta Capsula, illudque in manibus Episcopi adhuc genuflexi reverenter collocat.* „

Idem prorsus indicatur in Memoriali Rituum Benedicti XIII fel. rec. Tit. XVI, § 3, n. 18: " *Diaconus prope Altare, facta genuflexione unico genu, sine capitis inclinatione, extrahit de Capsula Calicem Sanctissimi Sacramenti suo velo coopertum... et stans tradit Calicem eidem* (Celebranti). "

Non igitur mirum est, si Eminentissimi Patres Rubricis ipsis inhaerentes reprobare censuerunt abusum inductum, excludendo Sacristam ab actione extrahendi Sanctissimum, et quia ipso facto locus non amplius erat quaestioni, idcirco nihil de colore stolae decreverunt. Cfr. Adnotationes super Decreto n. **2669,** Tom. 4. pag. 309 novae collectionis.

Si nunc perquisitio fiat aput Auctores, uti Cavalieri, Gavantus, Romsée, De Herdt, Piller, Bouvry, Sutor, Lerosey, Le Vavasseur, Pourbaix, etc., loquentes de Caeremoniis Feriae VI in Parasceve, non ad aliam devenimus solutionem, quia omnes altum silentium tenent de extractione Calicis ab alio quam Diacono.

Audi ipsum Martinucci: " Caeremoniarius innuet Sacristae, qui assurget, conscendet suppedaneum, genuflectet non in medio, sed versus latus Epistolae, ne tergum vertat Celebranti, accipiet claviculam Urnae, et aperiet ostiolum seu porticulam *quin educat Sacramentum,* ac si opus fuerit, ascendet super scabellum appositum; genuflexionem iterabit in suppedaneo, de gradibus descendet, redibit ad locum suum etc... [1] " et paulo infra, n. 76, Diaconus declaratur ex Urna educturus Calicem cum Sacramento tamquam agens ex officio. Cfr. decretum 11 Sept. 1847, n. **2951** ad 14.

Hisce praemissis ut lex numquam et quocumque modo possit in dubium revocari, transeamus nunc ad casum necessitatis, quae aliquando reddit licitum quod aliter esset illicitum, iuxta axioma: *necessitas facit legem.* Quid in casu?

[1] Lib. II, cap. 26, n. 73.

Ni fallor, Merati solus est inter Auctores, qui finxit hypothesim. " Hic notandum, inquit [1], quod si locus in quo est SS. Sacramentum ita dispositus sit, ut commode Diaconus non possit ad Capsulam aperiendam accedere, et *ex ea Calicem extrahere,* tunc alius Sacerdos cotta et *stola nigra indutus* capsulam aperiat, et suo tempore *Sacramentum extrahat,* quod reponet in loco congruo super Corporale, ut facilius Diaconus illud accipere possit. „

Insuper Martinucci praelaudatus, qui supponit Sacristam opus habere stolae ad dumtaxat aperiendum ostiolum Urnae (quod non videtur necessarium), dicit ipse: " Sacrista *cum stola nigri coloris* ascendet ad altare cum debitis genuflexionibus, et aperiet custodiam Sacramenti [2]. „

Unde ex duobus cl. Rubricistis, stola nigra videtur esse in casu adhibenda. An autem stricte obligat color niger iuxta Rubricas et decreta? Non credimus. Revera, Rituale loquitur tantum de colore convenienti officio illius diei pro communione quae extra Missam administratur, sed decreta eligere permittunt inter colorem officio diei conformem, et album [3]. Imo libertas conceditur Sacerdotibus communicantibus, inter stolam eiusdem coloris ac Sacerdos qui ministrat, vel albi coloris [4]. Hinc, in functione diei Parasceves, quae mixta vocari potest, quia non est intra nec extra Missam Praesanctificatorum, color potest esse, arbitramur, vel *niger*, sicut stola celebrantis et diaconi missae; vel *albus,* uti color proprius Sacramenti, praesertim quod expunctum sit decretum *Venetiarum* 11 Aug. 1877, n. 5706, antiquae collectionis, innuens per officium intelligi tantum debere colorem Breviarii; vel etiam *violaceus,* quatenus conformis officio diei, teste Gardellini dicente quod color ater cum violaceo confunditur [5].

[1] De feria in Parasceve, n. 42.
[2] Lib. VIII, cap. 12, n. 99.
[3] Rituale, Tit. IV, cap. 2, n. 1; S. R. C. 12 Mart. 1836, n. **2740** ad 12.
[4] S. R. C. 4 April. 1879. n. **3499** ad 1.
[5] Instruct. Clement.. § XVIII, n. 1.

Haec est sententia, quam fluere putamus ex dictis decretis per viam analogiae: cum functio de qua in hypothesi respicit SS. Sacramentum; sed solutionem definitivam remittimus sapientioribus.

b) *Ad secundam partem,* me prius recreat dicere cum *Ephemeridibus* huius anni, pag. 306, rationem non apparere cur capellanus serviens Missae privatae Episcopi, si communio fidelium haberi debeat, tabernaculum Sacramenti aperiret. Hoc enim optime per se Episcopus facere potest: aliunde solemnitas Missae Pontificalis, quae hanc aperitionem dicto capellano reservaret, non adest in privata; denique capellanus debet esse sine stola in huiuscemodi Missis iuxta decreta. Nam ad quaesita: " 1. Num teneatur ferre super habitu chorali stolam, quando assistentiam praestat Episcopo, dum in Oratorio privato aut alibi Missam celebrat? Et quatenus negative, 2. Num sibi liceat, absque violatione Rubricarum, stolam ferre in casibus supradictis? S. R. C., ad relationem Secretarii, respondendum censuit: Ad I, negative; ad 2, obstant decreta [1]. "

At, ut in praecedenti casu, supposito quod aliqua necessitas (v. g. impossibilitas Communionem fidelibus administrandi ob magnam trepidationem manus), reddat licitum quod ius in se non permittit, tunc pro momento communionis videtur quod debeat assumere non stolam conformem officio diei, quia hic agitur de actione intra Missam, sed tantum colorem paramentorum Episcopi, nisi agatur de Missa de Requie, aut albi, ad mentem decreti 4 Iul. 1879, n. **3499** ad 1, et decreti 9 Iul. 1678, n. **1615** ad 6.

Nec obiicias Celebrantem posse communionem distribuere cum paramentis nigris tam in Missa de Requie quam immediate post Missam, in utroque casu absque benedictione [2].

[1] S. R. C. 12 Mart. 1836, n. **2741**.
[2] S. R. C. 27 Iunii 1868, n. **3177**.

Ad hoc enim repono quod non conveniret paramenta mutari in alia pro communione ministranda a parte Celebrantis ; sed idem inconveniens quia non existit a parte capellani supplentis Episcopum, quatenus assumit tantum pro functione ista stolam, et non mutat, iam debet induere stolam albi coloris, quia color ille est Sacramenti proprius, si Missa est de Requie.

Quae sententia tamen, ut in prima parte, profertur tantum, salvo meliori iudicio.

A. FOURNERET
Censor Acad. Liturg. Roman.
Parochus loci vulgo dicti Lannes.
dioeces. Lingonen.

SOLUTIO ALTERA.

Ratio dubitandi est quia Diaconus [1] seu Presbyter, de quibus in casu, non sunt ex Ministris quos Rubricae expresse praecipiunt nigras induere vestes, et potius assimilandi videntur Presbytero, qui de uno Altari ad aliud transfert Sacramentum, pro quo ministerio color praecipitur Sacramenti proprius, scilicet albus.

Ad utrumque dubium respondendum esse censeo : Diaconum seu Presbyterum, tam 1. Feria VI in Parasceve, quam 2. in Missa de requie, stolam nigram induere posse, imo teneri.

Prob. 1ª pars. a) Diaconus alius de capsula Sacramentum extrahens vices tenet Diaconi Missae, ad quem hoc spectat

[1] Licet, iuxta Missalis Rubricam, ad Diaconum calicem cum Sacramento de capsula extrahere regulariter spectet, notat tamen Merati quod si locus, in quo est Sacramentum ita dispositus sit, ut commode Diaconus accedere non possit, alius Sacerdos [seu Diaconus] cotta et stola indutus extrahit Sacramentum.

munus, et Celebranti licet mediate ministrat, quin ullo alio ministerio in hac functione fungatur. Minister autem regulariter vestes coloris Celebrantis haud dissimiles induit.

b) In Pontificio Sacello, quando Papa adest, Sacrista ad quem spectat ex capsula calicem extrahere, utitur stola violacea, ut tradit Piersanctes [1]; pervulgatum est autem stolam violaceam a Papa nigrae loco adhiberi, quotiescumque paratus assistit solemnibus Missis, quae nigro colore celebrantur. Quum vero Sacrista Sacramentum non tenetur extrahere, nisi quando Pontifex adest, stolam violaceam adhibere videtur ex antiqua forsan consuetudine, ut eiusdem ac Pontifex, cui soli licet mediate ministrat, coloris adhibeat stolam, coloris scilicet, quem functio, non quem requirit Sacramentum.

c) Auctores haud infimae notae docent stolam nigram adhibendam esse. Ita Merati [2] et Martinucci [3], aliis generatim silentibus.

Prob. 2ª pars. Licet pyxidem de ciborio extrahere per se sit ritus, qui album colorem requirit, cum tamen in casu proposito pyxis extrahitur intra missam, ut a Celebrante communio porrigatur, ministerium huiusmodi ad ritum communionis se refert, tanquam accessorium ad principale, tamquam pars minor ad maiorem, cum autem pars maior ad se trahat minorem, et accessorium sequatur principale, Cappellanus qui pyxidem extrahit, eodem colore uti debet ac Pontifex qui communionem ministrat, colore scilicet Missae.

Obiici potest. Qui in aliquo hierarchico Ordine sunt constituti, quum ad sacram synaxim accedunt, iuxta decretum **3499** *Antibaren.* indui possunt tam stola alba, quam stola coloris

[1] Praeclarissimae et singulares in rebus liturgicis observationes D. Philippi Venantii Piersanctes. — Feria sexta Parasceve.

[2] Ad Gavantum. P. I., Tit. IX, n. XLII.

[3] Manuale S. Caeremoniarum, L. VI, C. XIX, n. 203 et 208.

officio convenientis; unde a pari dicendum videtur quod etiam Cappellanus pyxidem extrahens potest uti stola alba.

Respondeo. Nego paritatem. Sunt enim nonnullae functiones, nonnulli ritus, quorum aliqui clerici sunt participes active, alii vero passive. In huiusmodi functionibus non semper requiritur, ut eodem colore utantur, qui sunt participes passive, ac qui sunt participes active, ut deducitur ex Pontificali Romano (*De Consecratione electi in Episcopum, De ordinatione unius*). Eiusmodi est communionis ritus, unde si illis, qui communionem suscipiunt, facultas facta fuit utendi colore albo, non exinde sequitur, quod hoc colore uti possit Cappellanus, qui non se gerit passive, quoad ritum communionis, sed potius active, cum ministret Episcopo communionem porrigenti.

FELIX RAVANAT
Acad. Liturg. Rom. Censor.

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE SEPTEMBRI.

Alicubi occurrit Dedicatio Ecclesiae propriae cum Patrocinio S. Ioseph, Dominica tertia post Pascha recolendo; cumque hoc festum transferri certo debeat, dubitatur de die in quo assignandum sit: an videlicet in prima Dominica sequenti libera, an in die prima libera mensis, an denique sine assignatione relinquendum, et in singulis annis dies prima libera post festum illi statuenda? Quid agendum?

APPENDIX

E Suprema S. Officii Congregatione.

Beatissime Pater,

Ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus Officialis Curiae N., nomine et consensu sui Archiepiscopi reverenter exponit quae sequuntur:

Decreto Generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis diei 9 iunii 1889 statutum est quasdam causas matrimoniales, quando nullitas est evidens, posse dirimi una sententia, imminutis solemnitatibus et absque appellatione ex officio.

Inter quos casus adest etiam clandestinitas quoad locos ubi Tridentinum decretum « *Tametsi* » observatur. Quod semper intellexit haec Curia Archiepiscopalis hoc sensu quod nempe una sufficit sententia de plano quoties evidens defectus adest in observantia formae Tridentinae ut si v. g., unus tantum testis adesset, aut si matrimonium contractum fuisset coram solo ministro acatholico... etc... etc. Quum autem forma Tridentina plene observata fuit et quaestio movetur tantum de qualitate proprii parochi, etiamsi evidens appareat defectus domicilii aut quasi-domicilii item et delegationis, semper solemnitates omnes observantur et fit appellatio ex officio.

Sed et alii casus occurrunt, nec ita infrequenter, eorum nempe qui in fraudem potius legis civilis ne parentum consensum obtinere teneantur, pergunt in Angliam vel in alios locos ubi Tridentinum decretum non est promulgatum, et post paucos dies statim reversuri, ibi matrimonium contrahunt vel coram Officiali Civili « registrar, » vel coram ministello acatholico, vel tandem coram ministro catholico, adstante « registrar, » nulla habita delegatione proprii Ordinarii vel parochi delegatione. Hisce enim in casibus fere semper evidentissima apparet nullitas, praesertim cum contractus fit coram ministro acatholico, numquam enim delegatio, etiamsi data fuisset, daretur ad contrahendum coram huiusmodi ministello.

Hisce stantibus, humiliter quaeritur:

I. Quoad matrimonia quae in Galliis, seu in locis ubi promulgatum est decretum « *Tametsi,* » contrahuntur coram parocho et duobus testibus, num liceat appellationem ex officio omittere, quum ex actis evidenter concludi potest parochum non fuisse proprium et nullam delegationem datam fuisse ab Ordinario vel parocho proprio alterutrius contrahentium?

II. Quoad matrimonia quae a catholicis, domicilium retinentibus in loco ubi decretum « *Tametsi* » observatur, contrahuntur in loco ubi idem decretum non viget, quin ibi acquisierint domicilium vel quasi-domicilium, num solemnitates processus matrimonialis stricte servandae sint quando evidenter constat eos contraxisse in fraudem legis et praesertim in fraudem legis civilis?

III. Num saltem habito processu cum requisitis solemnitatibus, dataque nullitatis evidentia, Defensor matrimonii possit abstinere ab appellatione ex officio?

IV. Tandem num sufficiat processus summarius, et omitti possit appellatio, quoties matrimonium contractum est coram ministello acatholico vel coram uno magistratu civili?

Et Deus etc.

Feria IV, die 27 Martii 1901.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab EE.mis ac RR.mis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus habita, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Provisum per Decretum S. R. et U. Inquisitionis 5 Iunii 1889, quod intelligendum est tantum de causis, in quibus certo et evidenter constet de impedimentis, de quibus agitur, quae certitudo si desit, a defensore vinculi matrimonialis ad secundam instantiam procedendum erit. [1]

[1] Decretum citatum est seguentis tenoris:

" Decretum - *Feria IV die 5 Iunii 1889.* — In Congregatione Generali habita feria IV die 5 iunii 1889, E.mi ac R.mi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales decreverunt:

" Quando agitur de impedimento disparitatis cultus et evidenter

Sequenti vero feria VI, die 29 eiusdem mensis et anni, in solita audentia SS.mi D. N. Leonis Div. Prov. Pp. XIII, a R. P. D. Adsessore S. Officii habita, resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI, *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

constat unam partem esse baptizatam; et alteram non fuisse baptizatam; quando agitur de impedimento ligaminis et certo constat primum coniugem esse legitimum, et adhuc vivere; quando denique agitur de consaguinitate aut affinitate ex copula licita, aut etiam de cognatione spirituali vel de impedimento clandestinitatis in locis ubi Decretum Tridentinum *Tametsi* publicatum est, vel uti tale diu observatur, dummodo ex certo et authentico documento, vel in huius defectu ex certis argumentis evidenter constet de existentia huiusmodi impedimentorum, super quibus Ecclesiae auctoritate dispensatum non fuerit; hisce in casibus, praetermissis solemnitatibus in Constitutione Apostolica *Dei Miseratione* requisitis, matrimonium poterit ab Ordinariis declarari nullum, cum interventu tamen Defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit secunda sententia.

" *Eadem feria ac die*

" SS.mus D. N. D. Leo Pp. XIII decretum E.morum PP. adprobavit et confirmavit.

" Ios. MANCINI, *S. R.nae et Un.lis Inquis. Notarius.*

IMPRIMATUR

P. Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

JOSEPH CEPPETELLI Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

PROPRIETAS LITERARIA.

G. B. AGNOLUCCI, *gerente responsabile.*

Roma, 1901. — Tipografia Cooperativa Sociale.

XVIII AUGUSTI MCMI

IN FESTO S. IOACHIM PATRIS B. M. V.

LEONI PAPAE XIII

PASTORI SUMMO - PATRI AMANTISSIMO

ONOMASTICA SUA DIE RECURRENTE

LITURGICARUM SCRIPTORES EPHEMERIDUM

POPULO CHRISTIANO UNIVERSO

CONCINUNT PLAUDENTI

EIUSQUE APOSTOLICI REGIMINIS

ANNUM QUINTUM AB VICESIMO

EXOPTANT-IMPLORANT-EXPECTANT

FIDENTES